


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
14 — C
1



IOAN. CARAMVELIS
APOLOGEMA
PRO ANTIQVISSIMA,
ET
VNIVERSALISSIMA DOCTRINA
DE PROBABILITATE.

ILLMI D. IOANNIS CARAMVEL
SATRIANENSIVM ET CAMPANIENSIVM EPISCOPI.

APOLOGEMA
PRO ANTIQVISSIMA ET VNIVERSALISSIMA DOCTRINA, DE PROBABILITATE.

Contra nouam, singularem, improbabilemque D. PROSPERI FAGNANI *Opinationem.*

NVNC PRIMVM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO.



TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM.

HANC *Assertionem*, In materia Fidei, & morum ad conscientiæ securitatem sufficit Opinio probabilis: *esse coætaneam Mundo; omni æuo in Ecclesia & Schola communem: à Veteris Testamenti Patribus, ab Apostolis, à summis Pontificibus, ab Ecclesiæ Doctoribus in arduis & multarum consequentiarum Casibus ad praxim reductam: à Theologis vt Christianæ Religionis Dogma receptam, euidenter ostenditur.*

Oppositam videlicet, In materia Fidei & morum ad conscientiæ securitatem non sufficit Opinio probabilis. *Illustrium Doctorum iudicio inferre hanc* Deus impossibilia iubet, *Et totam Hæresim Iansenianam complecti: eandémque à suo Authore nonnullis fundamentis è Iansenismo sumptis, quæ Hæretica sunt, succollari tam clarè probatur, vt si qui oculis abuti velint, id manibus palpare possint.*

Demonstratur tandem Theologos, ita centum annis vltimis constrinxisse Conscientias, vt si aliis centum eodem impetu pergere permittantur, reddetur difficillima Infidelium conuersio, & apud ipsos Orthodoxos inconuenientia maxima certissimè timeri poterunt.

Est Opus Apodicticum, insistens demonstratæ Dialecticæ: in quo Scommatibus, Iniuriis, Contumeliis, quibus Viros sanctissimos & doctissimos (mortuos superstites) D. Fagnanus eo liberalissimè, quò iniustissimè oppluit; aut omissis omninò aut aliorum curæ & refutationi relictis; sine dente, sine felle omnia & singula quæ pollicetur hæc pagina, clarissimè demonstranda sunt.



APPROBATIONES.

EGO infra scriptus, Conuentus S. Bonauenturæ Lugdunensis Prædicator Ordinarius, ac Doctor Theologus, hoc *Illustrissimi D. Ioannis Caramuelis Satrianensium & Campaniensium Episcopi, Apologema pro Antiquissima & Vniuersalissima Doctrina de Probabilitate*, accuratè perlegi, & nihil in eo contra fidem & bonos mores contineri, testor. Datum Lugduni die 6. Augusti 1663.

Fr. PETRVS BILLION.

ALIA APPROBATIO.

HOc *Illustrissimi D. Ioannis Caramuel Satrianensium & Campaniensium Episcopi Apologemate pro Antiquissima & Vniuersalissima Doctrina de Probabilitate*, accuratè à me perlecto, Ego frater Cœlestinus Villiers Prior Conuentus sancti Augustini Lugdunensis ac Doctor Theologus, hoc opus dignissimum esse, vt lucem videat, & nihil in eo contra fidem ac bonos mores contineri fidem facio. Datum Lugduni die 6. Augusti 1663.

Fr. COELESTINVS VILLIERS.

LICENTIA ORDINARII.

VIsa Doctorum approbatione hanc *Apologiam de Probabilitate* typis mandari permittimus. Lugduni die 21. Augusti 1663.

DENEVF-VILLE Vic. Gen.

PERMISSVS

PERMISSVS.

Librum hunc inscriptum *Illustrissimi D. Ioannis Caramuelis Apologema pro Antiquissima & Vniuersalissima Doctrina de Probabilitate*, & à Doctoribus, ac Generali Vicario approbatum, typis mandari & in lucem edi, sumptibus LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 23. Augusti 1663.

VIDAVD.

CONSENSVS.

Viso Procuratoris Regis Consensu, hunc Librum typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat prohibemus. Lugduni die 23. Augusti 1663.

DE SEVE.

LECTO

LECTORI.

PRæſtantes virtute viros, colo, laudo, celebro:
Scriptor, quem parui fecero, nullus erit
Dogmata Ianſenî mea mens tolerare recuſat;
Quæ illis inficitur, Pagina nulla placet.
Ergo Fagnanum duce me venerentur Athenæ
Eius doctrinam me duce nemo probet.

EMINEN



EMINENT. ET REVEREND. PRINCIPI,

SFORTIÆ PALLAVICINO,

S. R. E. CARDINALI, &c.

DOMINO SVO COLENDISSIMO.



VIRVM, quo doctiorem non cognoſcit Europa; Conſiſtorij Apoſtolici gloriam, Ornamentum Italiæ; in quo eruditio & Pietas de primatu concertant; quem dedit Orbi Chriſtiano Deus, vt ad eius exemplum Eccleſiaſtici Principes mores ſuos accuratiùs eliment; vtili meditatione ſuſpicio; huius Apologematis Dedicatione veneror; & vt Lectoribus prodeſſe poſſim, Argumentum præſentis Operis paucis expono. 1

Eminentiſſimus D. Cardinalis Pallauicinus, quantus? qualis?

Iam ab annis viginti Librum ſcripſi, in quo Ianſenianæ Hæreſeos fundamenta diruo, & clariſſimè euerto. Veni Romam, & Theologiæ condolui ſubortâ tempeſtate turbatæ. Vt procellam ſedarem, Librum ipſum (quem HYPERASPISTEN PHYSICO-ETHICVM vocare placuit) edidiſſem, ſi ad manum eſſet: debui igitur nouum ſcribere; & quantum permittebat memoria, priorem ad ſynopſin reducere, vt feſtinanti morbo citum adhiberem remedium. Hunc Tuo celeberrimo Nomini dedico; Tuo potentiſſimo Patrocinio commendo; Tuæ integerrimæ Cenſuræ ſubmitto: vt, ſi fortè (quod ſpero) calculum mereatur benigniorem, Hyperaſpiſten ipſum in lucem confidentiùs emittam.

Hyperaſpiſtes Phyſico-Ethicus liber in Ianſeniſtas ſcriptus.

Impugnare rem ipſam, quam propugno, impoſſibile iudico: at quia Antagoniſtis rhetoricari placuit, cùm dialecticari deberent, & vt à Controuerſiæ ſuperſedeant ſubſtantiâ, ad circumſtantias importunè recurrere; auram ſequamur aduerſariam, & cum illis etiam circumſtantias ſingulas ſpeculemur. Incuſabunt meum ſtylum lan- 2

Quàm ſit certa doctrina, quã omnes Theologi tuentur, & D. Fagnanus impugnat?

Lutherus in Coll. Quando argumétatur Papista, dicito, *Asinus & Papista idē sunt.*

ſeniſtæ arrogantiæ & audaciæ: ſcriptorem contemnent; ſic enim illos tractant, quibus ſatisfacere neſciunt. Scire volent, *quis* ille in Mundo, qui in D. Fagnanum audeat? *quid* ille boni ſcribat? *vbi* terrarum obloquatur? *quibus auxiliis* fretus? *cur* ſtrinxerit calamum? *quomodò* illum verſet, & *quando?*

Suauiſſimus Caramuëlis calamus, etiam illos honorat, à quibus contumelioſè inuaditur.

Ego quidem libenter à circumſtantiis cæteris ſuperſederem, modò liceat ſecundam prout argumenti petit grauitas, repræſentare. *Quis ſcribat*, iam ſcitur. Scribit Caramuël; qui in laudes Amicorum diffunditur: qui nullius fuit indignationem promeritus; & tamen gratis vulneratus, aggreſſorem quantum conſcientiæ ſecuritas tolerat, ſemper excuſat. Sed vbi ſcribit? Romæ: non apud Garamantas. Romæ videlicet, vbi opiniones ad lapidem lydium (Apoſtolicam ſedem) iudicantur; vt adulterinæ & ſpuriæ (erroneæ) à veris, probabilibúſve diſcernantur. Scribit in itinere; extra Penates proprios; moleſtiſſimis aliis negotiis, aut etiam litibus, in quas ob Eccleſiaſticæ immunitatis defenſionem incidit, implicatus. *Quibus autem auxiliis?* Nullis: non enim ſua habet ad manum aduerſaria, vt poſſet reſpondere Aduerſariis. *Cur autem ſumpſit calamum?* Quia per annos triginta cum Lutheranis, Caluiniſtis, & aliis Nouatoribus diſputauit, & ideò videtur poſſe ſuæ experientiæ confidere: Quia fuit primus Doctor, qui Louanij ſe Hæreſi Ianſenianæ oppoſuit, & ideò etiamnum poterit in arenam deſcendere primus: Quia in Palatinatu, dum eſſet Abbas Diſenbergenſis, denominatus Epiſcopus Miſienſis & ſuffraganeus Moguntinus, plurimos; & in Bohemiâ demum dum eſſet Abbas Monſſerratenſis, Eminentiſſimi Archiepiſcopi Pragenſis Generalis Vicarius, Conſilij de Hæreticorum Reformatione Præſes Deo Auſpice, ſupra triginta hominum millia ad Fidem Orthodoxam conuertit, & ideò diſſertatione aſſiduâ cautus redditus, Hæreſes noſtri temporis penetrat; & ſub folio nunc viridi latentem anguem videt, qui latet aliquos. *Sed quomodo?* ſedato animo: non vt ægrotos vulneret, ſed vt ſanet. Vrbaniſſimo ſtylo: qui enim à Veritate ſtat, omnes honorat, & neminem oppluit iniuriis. *Et tandem quando?* Quando ſcribunt milleni: oportet enim, vt iuſtè à multis timeat, qui multos iniuſtè eſt aggreſſus. Sed à minùs neceſſariis circumſtantiis ſuperſedendo, ad rem veniamus. *Quid igitur ſcribit Caramuël?* Hìc hærebo tantiſper, indigent enim inſtructione Lectores, vt ſciant quid debeant poſſintve ab hoc Opuſculo indepiſci.

Eccleſiæ immunitatem generosè defendit.

Hæreticorũ conuerſioni iam ab annis triginta cum maximo fructu adlaborat.

De viginti millibus extāt Auguſtiſſimi Cæſaris & Emin. Card. Teſtimonia; de cæteris Principum aliorum Diplomata.

Qui quod vo t dicit quod non audit. *Plautus.*

Quid in hoc Apologemate ſcribat Orbi literario Caramuël.

Scripſit

Scripsit & in lucem nunc emittit, paucas, sed summi momenti, & magnarum consequentiarum paginas; & summè necessarias hoc æuo Ab Eminentiâ vestrâ, ab aliis Patribus, à Theologis vniuersis, ille expostulat, vt eas dignentur propriis oculis legere. Paucæ sunt; & ideò vel vnâ die percurri poterunt. Agitur sanè in illis, de Ecclesiæ Catholicæ securitate; quam Iansenismus rediuiuus, in Belgio, in Galliâ, imò etiam in Italiâ inuadit, sub vitæ strictioris specie; vt immedicabiliùs noceat, quò cautiùs occultiúsque suum venenum offundat. Porrò non apparet quod est, sed nec est quod appâret; prodit enim laruatus improbabili hoc nouo & pernitioso Pseudolemmate (*a*) *Ad securitatem conscientiæ non sufficit Opinio probabilis*. Agitur, (vt Patriarchas (*b*) & Ecclesiæ Doctores prætereàm) de honore omnium ferè Pontificum (*c*) fuerunt enim vel pauci, vel nulli, qui non ediderint Bullas, & concesserint Dispensationes à probabilitate sententiarum pendentes: nec hinc dicendæ sunt periculoso fundamento subnixæ, nam Probabilitas (*g*) virtualiter loquendo est veritas Agitur (*d*) de Immaculatâ Deiparæ Conceptione; si enim illud Pseudolemma stat, Sixti IV. Pauli V. & Alexandri VII. Constitutiones non stant. Ergò, cùm hæ firmâ petrâ substructæ sint, dicendum illud est ab aëre inconstanti pendere. Agitur etiam hîc de omnium Theologorum honore; nam nimis iniuriosè & contumeliosè à D. Fagnano tractantur; dedecorantur enim infami *Nouatorum* (*e*) vocabulo, quo Controuertistæ Lutheranos, aut etiam Caluinistas inurunt. Agitur tandem de veritate Historiæ, à quâ grandia dependent: incriminantur enim (*f*) Moralis Theologiæ Professores, quòd nouam doctrinam cuderint: cùm tamen illa Mundo coëtanea sit, & hæc Censura ante Merendam in Orbe Christiano inaudita. Et huic errori noua Opinatio insistens, vrget, (*ff*) quod ab annis centum Theologi mores Christiani Orbis laxauerint, cùm hoc sit in Quæstione facti, si non calumnia mera, saltem temerarium iudicium, latum ab hominibus, qui libros Antiquorum non legunt. Sanè, si Veteres veras viuendi Regulas tradiderunt, illorum sine causâ doctrinam strinxerunt Iuniores, & reformari horum omnium ad vnum strictissimæ sententiæ debent, & ad omnium veterum benignitatem, aut etiam laxitatem refundi. At hoc expedire non video.

3 *Est opusculũ maximè necessarium.*

Ecclesiam Iãsenismus inuadit sub pietatis specie.

Eiusdem larua.

4 *Scribit D. Fagnanus contra Veteris & Noui testamẽti Patres contra Bullas Pontificum.*

Theologos offundit iniuriis, Nouatores (hoc est, Hæreticos) appellat; nouam doctrinã cudi, & bonos ab illis mores corrumpi queritur.

A centum annis Iuniores stringũt, & nimis vt docti iudicant, stringunt conscientias.

5 Tu igitur PRINCEPS EMINENTISSIME, periclitanti causæ Dei multis nominibus fauere debes. Assumptus es ex societate, contra Hæreticos malleo, contra Nouatores ariete: Christi sponsâ candidâ & rubicundâ, videlicet, ob vitæ & doctrinæ puritatē & sinceritatē albicante: ob myriadas Martyrum, qui innocentissimo profuso sanguine propagarunt Ecclesiam ad vltimos mundi terminos, purpurascente. Hanc honorasti nobilissimis libris, è quibus duo præcipuè Nouatores vniuersos atterunt: alter speculatiuus, alter practicus. Ille de Actibus Humanis est, & *ad securitatem conscientiæ non requiri certitudinem, sed sufficere probabilitatem*, firmissimis argumentis ostendit: hic Concilij Tridentini historiam calamo doctissimo edisserit, & multa solidissimè tractat, quæ cum D. Fagnani Pseudolemmate componi non possunt. Perge igitur Ecclesiam protegere, & sicut hucusque prouidè & generosè Hæresim detectam retudisti (*h*) modò laruatæ obsiste, & ex tumulo in lucem redire, & decipere incautos ne toleres. Si enim (*aa*) Deus nec impossibilia (quia id non potest) nec ferè impossibilia, aut summè difficilia (quia si id fortè possit, tamen ita est misericors, vt hoc non velit; aliàs enim nos deciperet dicens, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*) nobis præcipit, vel falsum est illud Pseudolemma, quod impugno, vel ab initio Mundi hucusque capti mente fuerunt vniuersi Theologi, ideò enim ad Probabilitatum laudabilem praxim recurrunt, quia aliàs impossibilia Deus, aut ferè impossibilia, aut summè vt minimùm difficilia præciperet.

Quantum societati Iesu debeat Ecclesia

Doctissimos libros edidit Eminentiss. D. Pallauic.

Realiter aut moraliter impossibilia non præcipit hominibus Deus.

Cur dicant Theologi sufficere probabilitatē.

6 Præter Ecclesiam, scholam etiam (*i*) debes protegere; nam, si heri Doctor & literarum Diuinarum Professor, fuisti omnium Artium, & scientiarum Promotor: omnium qui in Ecclesiâ Eminerent, Mecœnas; non erat in Te *secundum dici* Heroica hæc virtus, nec mutatis dignitate & authoritate, potest mutari. Protege ergò sanctissimos & Doctissimos viros, nimbis iniuriarum opplutos, fulminibus contumeliarum ictos, & calumniarum tonitru, apud vulgus indocile & ignorans morum actiuæ corruptionis (*ff*) traductos; cùm ipsi (iterum dico) per annos centum nihil aliud præstiterint, quàm stringere Christianorum conscientias, tam festino gressu, vt nisi ponatur remedium, sed stringere vlteriùs sinantur, claudent Ethnicis, Mahometanis & Hæreticis ad Ecclesiæ

Iniustè Theologi excipiuntur iniuriis.

Conscientiæ quantum Probabilitas sinat, laxādæ sunt.

Vide ordinis S. Dominici constitutiones in Prologo: ex quibus hæc doctrina est desumpta.

Arcem

Arcem, viam, quam certè aperire & laxare deberent, quantum ratio & prudentia permitteret. Et ego tandem, ne fortè nimius videar, his literis finem impono: oro Deum, viuorum & mortuorum Iudicem, vt per Te Innocentiam Theologorum viuorum & mortuorum defendat, Mundúmque doceat, esse omninò impossibile, vt permiserit Deus, si D. Fagnanum excipiam, à mundi initio hucusque Theologos vniuersos errare. VALE. 7

An sit possibile in materiâ morū vniuersos erraret

VESTRÆ EMINENTIÆ
humillimus seruus, Ioan. Episc.
Satrianens. & Campaniens.



NOTÆ.

In præcedentem Epistolam.

8 *Nihil debet dici, quod [non] probetur.*

MVLTA paucis verbis sunt dicta, at omnia probabuntur clarissimè; nec enim D. Fagnani priuilegio fruiscimur, qui audet dicere quod vult, quia se existimat nîl debere probare. Interim hîc in ipso limine meum Candidum Lectorem sisto, monéoque, me sicut quoad substantiam doctrinæ, sic etiam quoad modum tradendi à D. Fagnano differre.

Inter Genios D. Fagnani & Caramuelis differentia.

DOCET (1) *Ad securitatem conscientiæ non sufficere opinionem probabilem.* Probat (2) magno verborum apparatu, à quo abest Dialectica, ne sit impedimento Rhetoricæ. Substruit (3) fundamentis euidenter Hæreticis ex Iansenismo emendicatis. Colorat (4) dicteriis, scommatibus; imò iniuriis, contumeliisque (& cur hoc non adderem, impositione etiam Opinionum, quas Theologi nusquam dixerunt, nunquam somniarunt,) vt vel sic, quam apud Doctos se habiturum desperat, apud indoctos gloriam habeat.

D. Fagnani doctrina & modus probandi. Vide n. 40.

An Theologi habeāt sententias, quas Iansenistæ & D. Fagnanus eis imponit.

AT EGO CONTRA; antiquam præscriptámque Ecclesiæ & scholæ doctrinam defensurus, resoluo. (1) *Ad securitatem conscientiæ sufficere opinionem probabilem.* Vt id (2) persuadeam, iubeo Rhetoricos flores excesse, ne impedimento sint spinis Logicis. Ero breuis: paucis enim lineis formari potest demonstratio. Euertam (3) Iansenistarum fundamenta; nam demonstrare hæc esse hæretica, illis insistentem D. Fagnani doctrinam diruere est. Et tandem (4) summam vrbanitatem & suauitatem in dissertatione obseruabo, personam D. Fagnani ab eius opinatione distinguens: nam illam veneror, & laudibus semper extollo, opinórque illum

9 *Caramuelis doctrina & modus probandi.*

An D. Fagnanus substruat suam doctrinam hæresi Iansenianæ?

Caramuel D. Fagnanum amat & veneratur.

erraſſe materialiter; nec enim, ſi præuidiſſet inconuenientia & abſurda, quæ ex ſuâ opinatione ſequuntur, illam vnquam tenuiſſet aut docuiſſet: eamdémque me fide iubente dedocebit, cùm primùm ſe errauiſſe perſpexerit. Tanti ego D. Fagnanum facio. Sed doctrinam? Quamdiu intra Canonum metas ſe continet, etiam laudo & admiror. Cæterùm ſententiam illam nouani, quam in Commentario ad Caput, *Ne innitaris*, protrudit, ſincerè loquens, iudico omni probabili fundamento carere. Quamobrem optarem procul dubio, vt Theophilus ingenioſus & doctus, qui ſuis voluerit oculis honorare hoc Opuſculum, priùs in Logicâ Caput, de *Appellatione*, legeret: intendo enim ſuauiſſimè loqui, & acerrimè debeo. Ergo diſtinctione opportunâ expediamur. Quidquid venerabundus dixero, D. Fagnani perſonam, non doctrinam: ſi quid indignabundus (& hoc rariùs reperies) doctrinam, non perſonam concernat. Ergo, ſicut Diana & Caramuel, tam ſunt intimi amici, vt Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo (quem nominaſſe, laudaſſe, & celebraſſe ſit) Alteri *ille*, *quem amas*, diceret, vt alterum ſignificaret: & tamen ſe fortiſſimè ſed vrbaniſſimè impugnant: manere poterit inter D. Fagnanum & Caramuelem Charitas, & voluntatum vnitas, non obſtante intellectuum diſcordiâ, modò ſtylus contumelioſus abſit.

Quid de eiuſdem doctrinâ ſentiat?

An ſcriptores poſſint illaſâ amicitiâ ſe impugnare. Diana & Caramuel in exemplũ ponuntur.

10 INSTABIS, me nec liberare fidem, nec ſtare promiſſis: nam perſonam meo ſtylo venerari promiſi, & tamen illam ſeueriſſimè incriminor, hæreſeos ignorantiæque grauiſſimis notis inurens.

An ſtemus promiſſis & cum veneratione perſona incriminemur tantùm D. Fagnani doctrinam.

11 Parciùs obſecro: hîc, vt video, quod ab initio timui, doctrinam cum perſonâ confundis. Durè de doctrinâ ipſâ loquor, & duriùs fortaſsè deberem; nam vbi agitur de fide Diuinâ, ceſſant omnia; quæ enim vltra aras, Chriſtiana non eſt amicitia. Vtor ſinceritatis Lexico: *diem* voco *diem* & noctem *noctem*; adeóque hæreſim *hæreſim*, & hanc aliter denominare in perniciem omnium Lectorum vergit. Ianſenianâ hæreſi incautè ab ipſo Authore hanc Opinationem ſuccollari & fundari, dixi, & iterum dico. Eſt quæſtio facti: D. Fagnani liber exſtat: interim vide inferiùs à *num.* 40. *ad* 44. Addo ex eadem opinatione plerorúmque omnium Theologorum iudicio naſci hæreticam propoſitionem *Deus impoſſibilia, ſummè difficilia, &c. præcipit.* Eſt quæſtio facti: celeberrimos Theologos ſic dialecticari, certum eſt. Exſtant libri: poſſunt recognoſci & videri. Interim tu lege inferiùs *à n.* 12. *ad* 21. Errat igitur D. Fagnanus in materia grauiſſimâ. An formaliter? abſit: hoc non ſuſpicor. Ergò materialiter, & materialis error in inuincibili ignorantiâ conſiſtit. Igitur non aggrauo, ſed defendo & propugno, cùm illum ignorantiâ inueſtio, ſine quâ excuſari non poteſt. Non ſum tam doctus, vt aliter illum tueri ſciam: aperi aliam meliorem viam, & illam ego libentiſſimè inibo. Et quidem homini Canoni

Eccleſiæ eſſet iniurius, qui hæreſim aliter vocaret quàm hæreſim. D. Fagnani opinatio ab ipſo fũdatur Ianſenianâ hæreſi & Doctorum iudicio eadẽ hæreſim Iãſenianã iterũ parturit.

D. Fagnan. materialiter errat: quia Theologiã ignorat.

Hæc ignorantia non est dedecori homini Canonistæ.

Canonistæ non est inglorium Philosophicas & Theologicas subtilitates ignorasse: imò & illas se ipsissimus D. Fagnanus ignorare fatetur. Vide *num.* 112. inferiùs. Ergò causam propriam communémque tuetur & defendit meus calamus cum moderamine inculpatæ tutelæ, sine vllius præiudicio: si autem ægrè ferat pessundari dissentaneam doctrinam, iniustè sanè inuitus est.

Hac monitione egebas, ne fortè me in personam, quam amo & suspicio, scripturum putares. Ergò dum meritò D. Fagnani virtutes & prærogatiuas orbis literarius extollit, nos scholiis nonnullis præcedentes literas dilucidemus.

(A)

12 *Volebant Iansenistæ nouæ hæresi, quæ clã cudebatur, viã sternere: & ideò hoc Pseudo lemma tota eorũ hæresi grauidum præmiserũt.*

CORnelij Iansenij, Episcopi Iprensis discipuli, antequàm Augustinus ille, qui totus contra Augustinum est, imprimeretur, conati sunt nouæ hæresi aperire viam hoc Pseudolemma, *In materia Fidei & morum, ad conscientiæ securitatem probabilis opinio non sufficit*, protrudendo. At illis obstitêre Catholici, etsi nihil de hæresi, quæ typis furtiuis imprimebatur, cognoscerent. Vide *n.* 116.

Idipsum post hæreseos cõdemnationẽ conãtur audẽntque, vt damnatã & proscriptam tueantur & restituant.

Sed & post Hæreseos Iansenianæ condemnationem, varias illi finxerunt Constitutionis Innocentij X. Interpretationes, vt sub verbis Catholicis, & à Fide Apostolicâ approbatis, Hæresim retinerent. Et, vt nocerent cautiùs, idem Pseudolemma sub virtutis specie in Ecclesiam propellere conati sunt, scientes certissimè in illo illas quinque, & etiam multas alias damnatas ab Ecclesiâ Propositiones contineri. Vide *num.* 116. 117. 118. & 287. & 292. &c.

(AA)

13 *Hæreseos Iansenianæ Basis.*

FVndamentum & basis Hæreseos Iansenianæ est, *Deus impossibilia iubet.* Iansenius in suo Augustino *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 13. & sæpè alibi.

Ex hoc Pseudolemmate, *Ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis.* Imò etiam ex hoc *Ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio minùs probabilis.* Infertur per legitimam consequentiam, *summè difficilia, ferè impossibilia aut etiam impossibilia Deus præcipit.* Hoc Pseudolemma D. D. Merendæ & Fagnani est. Ergò hi vnâ lineâ totam hæresim Iansenianam protrudunt. Suppone illos non malitiâ, sed inaduertentiâ delinquere, Interim sequentia Theologorum Illustrium testimonia considera.

Quidnam oriatur ex D. Fagnani doctrinâ.

N. B. sum extra domũ meam dum hac in itinere scribo, at his authoribus potero centenos addere, si singulos vo luero recognoscere.

Effet onus intolerabile, & multis scrupulis expositum in omni re examinare quid sit probabilius & tutius Bussenbaum, *in Medulla Theologiæ. libr.* 1. *tract* 1. *c* 2. *dub.* 2. §. *Respondeo in fine.* Vnde meritò Antonius Cotonius *in summâ Dianæ verb. opinio num.* 2. exclamat, *Esset onus intolerabile, si homo teneretur opiniones probabiliores inuestigare.* Videtur Cotonius hæc verba sumpsisse ex Thoma Sanchez; qui *libr.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *pag.* 29. *num.* 14. sic inquit.

Iuniores Theologi admittunt doctrinã de probabilitate quia aliàs impossibilia iuberet Deus.

Quippe

An homo teneatur meliora facere? an faciendo bona satisfaciat?

Quippe nullus ad melius & perfectius amplectendum adstringitur, (& patet; satisfacimus enim Deo & hominibus, si facimus bona, nec est vlla lex, quæ ad meliora nos obliget) & addit hæc valde notanda. *Quia, cùm omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligauit, sed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Námque intolerabile onus & multis scrupulis expositum esset, si opiniones probabiliores inuestigare teneremur.* Ergò tenet Sanchez impossibilia Deum iussurum, si vel certa vel probabiliora sectari in omni occasione iuberet. Firmant hanc veritatem Viri Doctissimi, qui etiamnum viuunt, dicúntque *se post multos annos studij non scituros viuere, si probabiliores semper eligere opiniones deberent.* Hæc omnia à fortiori militant contra D. Fagnanum, qui ne quidem probabilioritate contentus est.

An certitudo omnimoda haberi possit?

An D. Fagnani doctrina practicabilis sit? an praxi impossibilis?

Theologorũ illustrium à nobis consultorũ vox.

En las materias Morales es casi impossibile hallar la verdad exacta sino tam solamente vna similitud y prouabilidad della: y sequirla es lo que basta para obrar acer tada y prudentemente. Y sin duda fuera cosa penosissima y trabajo casi impossibile de lleuar, si siempre que el hombre vbiesse de obrar alquna accion, en que se hallase diuersidad de opiniones, estuviere obligado, a examinar qual de ellas tenia mas authoridad en su defensa, o mas fuertes razones. P. Acacius March de Velasco *in sua doctissima summâ Tom. 2. verb. Opinion. Resolut.* 316.

Est ferè impossibilis teste Acacio.

Illa verba, *es casi impossibile hallar la veridad exacta*, exscripsisse putatur ex P. Marco Serrâ suo Magistro; at hic non dicit *ferè impossibile*, sed absolutè *impossibile*. Eius verba sunt hæc. *Deus non exigit ab homine, vt omnia operetur cum euidentiâ & certitudine Mathematicâ, aut omninò exactâ, aut perfectæ veritatis: nam hoc esset illum ad impossibile obligare.* Ita ille *in* 1. 2. *D. Thomæ quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. *pagin.* 370. Verba hæc consonant Aristoteli, qui etiam assumit vocem illam *exactum* materias enim à materiis distinguit, & quæ in Mathematicis fieri solent, asserit in Moralibus fieri non posse, vnde *lib.* 1. *Ethic. cap* 3. sic concludit. *Ipsum autem exactum non est in omnibus simili ratione flagitandum.* Et cur? Quia in Moralibus exactum (certum & indubitatum) reperire, frequenter impossibile est. 14

Est absolutè impossibilis teste Serrâ.

Illam vocẽ veritatem exactã, quâ Serra, & Acacius vtuntur, sumpserunt ex Aristot.

Eadem D. Fagnani doctrina in praxi est impossibilis teste Arist.

Coronat Ioannes Salas, qui *in* 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnic. sect.* 6. *pag.* 1231. sic infit. *Cùm igitur in rebus humanis communiter non possit inueniri nisi certitudo opinionis, ea debet sufficere, vt homo dicatur rectè agere.* Et cur? Quia aliàs nobis iuberet inuenire Deus, quæ inueniri non possunt. Clariùs *pag.* 1232. Verba exscribo. *Aliquando nulla suppetit ratio*, ait, *quâ dubium deponi possit, vel certè est* (leuis) *insufficiens ad vitandum iudicij temeritatem: Ergo tunc, vel dubium non poterit tolli vllo modo, vel saltèm non posset licitè tolli, & sic non poterit homo cauere peccatum.* 15

Etiam teste Salas.

Etiam

16 *Etiam teste Vasquezio.* Etiam ad impossibilitatem recurrit Gabriel Vasquez, quia vel Deus permittit, vt probabiles opiniones sequamur, vel nobis impossibilia aut nimis dura præcipit. *Hoc autem*, ait, *esse manifestè falsum, satis superque ostensum est; tum, quia nunquam potest esse opinio tam certa de rebus agendis, cui non possit subesse aliqua formido*, &c. *Tum etiam, quia nimis durum est obligare aliquem, vt propriam etiam opinionem relinquat, quando pars illa est minùs tuta, etiamsi sit probabilior.* Sic ille *in 1.2. disp.62. cap 9.* Alia testimonia subscribamus.

Etiam teste Ouiedo. Eòdem recurrit Ouiedus *in 1.2. tr act.5. contr.3. punct.2. num.14.* & cùm probat neminem teneri probabiliorem opinionem eligere, à fortiori suadet neminem teneri sequi certam. Eius ratio, & verba sunt hæc, *Quòd hæc obligatio esset nimis dura, milléque scrupulis peruia; & sæpe hominem valde angeret tenentem ponderare momenta cuiusvis sententiæ, vt ex illis probabiliorem eligeret*, &c.

Etiam teste Ioan. Ildephonso. Ioannes Ildephonsus Baptista cum fructu legitur, & ab ingenij viuacitate laudatur: interìm multa habet, quæ huc pertinent. Tract. de Conscientiâ *disput. 28. dub.6.concl.3. num.579.* sic inquit. *Probatur primò, quia aliquando talis se potest offerre occasio operandi promptè, vt maior notitia vel certior opinio haberi non possit,* *Nota illud non possit.* *vel tale periculum vitandum, vt pro tunc, ne exponatur salus Corporis & Animæ periculo, illa parua sufficiat probabilitas, tunc enim attentis circunstantiis loci, temporis, personarum, & periculi debet censeri probabilior possibilis illa parum probabilis sententia. Sicut Confessio debet esse integra & ex simili causa potest dimidiari, sed censetur integra quod ex sequentibus casibus confirmari potest.* *An possit dimidiari confessio.*

Et posteà pag. 642. Conclus.3. *Probatur: nam ex contrariâ sententiâ sequuntur multa intolerabilia & absurda, ergò nullo modo est admittenda: Consequentia est bona & antecedens probatur. Primò sequitur enim ex sententiâ contrariâ, quòd quandocunque sit difficultas circa res fidei, quantocunque essent diuersæ opiniones valdè probabiles, & quantacunque diligentiâ adhibitâ nulli parti possimus adhærere, eo quod vtraque Opinio proponatur vt de fide, neutra esset omninò tuta: quod est contra communem vsum Ecclesiæ: Patres enim & Doctores, antequam definiatur ab Ecclesia in contrarias sententias probabiles diuiduntur: sequela verò probatur, quia tutius esset nulli parti præbere assensum militantibus hinc inde rationibus probabilibus ex sacrâ Scripturâ, vel Regulis fidei deductis, ne fortè assentiendo huic vel illi opinioni Sacræ Scripturæ vel Fidei veritati aduersaremur*, &c. *An ex opposita sententia intolerabilia & absurda sequantur?*

Non exigit Deus ab homine plus quàm conditio hominis habet: quia Diuina sapiẽtia disponit omnia suauiter. Caietanus *in summâ verb. opinio.* Ergò, si præciperet homini, ne opinionibus probabilibus vteretur, præciperet teste Caietano plus quàm habeget humana conditio *Etiam teste Caiet.*

conditio. Ergo impossibilia præciperet.

17 Hæc impossibilitas tam clarè dignoscitur, vt Cicero *lib. de senect.* (à Spinulâ *disput.* 3. *sect.* 5. *pag.* 209. citatus) dixerit, *magnæ felicitatis esse saltem in senectute veras opiniones assequi.* Ergò, si nullis iuuenibus, & raris senibus ad veritatis certam cognitionem peruenire contingit, impossibilia omninò iuberet Deus, si nobis facere ea, quæ certò sunt vera, præciperet.

Etiam teste Cicerone.

An iuuenes, an senes, certò veritatem cognoscant?

18 Cur plura? Cur plures? Ecce Viri doctissimi, quos produxi, ideò Probabilitatem dicunt ad conscientiæ securitatem sufficere, ne cogantur asserere hominibus iubere Deum impossibilia realiter vel moraliter. Senserunt igitur Busenbaum, Antonius Cotonius, Thomas Sanchez, Ouiedus, Acacius March de Velasco, Marcus Serra, Ioannes Ildephonsus, Ioannes Salas, Gabriel Vasquez (hos examinaui; at cæteros omnes idem sentire, & idem censere putarem) hanc propositionem. *Probabilitas ad conscientiæ securitatem non sufficit*, esse connexam huic, *Deus præcipit realiter aut moraliter impossibilia*; & hanc ob rem vtramque eidem censuræ obnoxiam esse. Accedit, quòd illam priorem D. Fagnanus Hæresi Iansenianæ succollet, vt *num.* 28. videbis. Ergo non est de nihilo, quæstio hæc: sed meretur Theologorum examen, quorum ego iudicio libellum hunc summâ humilitate submitto. Interìm, qui copiosum Auctorum, qui Deum asserunt iubere impossibilia, si sententia D. Fagnani teneatur, catalogum habere velit, exspectet P. Antonini Diana de hoc argumento librum; nam pius senex tametsi iam tandem æger & cœcus sit; vbi agitur de defendendâ Ecclesiæ orthodoxâ doctrinâ, est lynx, est iuuenis, & robustam valetudinem habet.

An cæteri Authores consentiant.

Illorũ verba & nomina Diana colligit, vt seruiat Deo & Ecclesiæ.

PRÆVIDIT hanc difficultatem D. Fagnanus, & nostrum argumentum *num* 55. proponit, & illi *num.* 112. respondet, *negando esse supra humanam facultatem habere moralem certitudinem in omnibus agibilibus.* Lepidissima sanè responsio! scribat igitur *Moralium Certitudinum Librum* D. Fagnanus, & cessabit contentio. Sanè multa occurrunt, quæ hæ Notæ capere non possunt. Dico interìm hanc responsionem, nec esse veram, nec ad rem. *Ajo non esse veram*: quia siquidem D. Fagnanus est doctior omnibus: (nec enim contra omnes cornua obuerteret, nisi se scire putaret illa, quæ cæteri vniuersi nesciunt:) & tamen in vnâ Quæstione, quam ex professo tractat, vix vllam certam propositionem assumit, sed multas hallucinationes patitur, quâ sinceritate audet dicere non esse supra humanas vires habere moralem certitudinem in omnibus agibilibus? *Addo non esse ad rem*; nam, qui sibi ablanditur, quando potest habere certitudinem, non habet opinionem probabilem, sed ignorantiam vincibilem; quæ Probabilitati, vt tenebræ luci, aduersatur. Ergò, si

19 *D. Fagnani responsio.*

An impossibile sit veritatem in omni morali materiâ cognoscere?

An D. Fagnan. se omnib. doctiorem putet? Putat sanè: nec enim aliàs omnes erroris incriminaretur, & contra vniuersos scriberet.

An certitudines D. Fagnanus scripserit.

20 *Nõ opinatur probabiliter, qui veritatẽ potest certò scire, & nõ vult.*

si hæc solutio stat, & scimus Logicam, non debet D. Fagnanus dicere, *Probabilitatem ad conscientiæ securitatem non sufficere*, sed *repugnare conceptum probabilitatis*. Hoc inquam, debebit necessariò dicere. Quid si dicat? Impinget in Bullas de Conceptione immaculata.

An repugnent opiniones probabiles?

21 *D. Fagnani aduersus Iansenistas affectus.*

ET hìc obiter noto D. Fagnanum paucis verbis Catholicorum Doctorum, Ecclesiæ Patrum & sacrorum Canonum locos citare: aut enim locum merum producit: aut, si formalia verba citare placeat, vnâ aut alterâ lineâ contentus est. At vbi ad Iansenistas ventum, huius Hæreseos Principes, non Velites & gregarios milites nobis proponit: & illos tam prolixè citat, vt à pag. 95. num. 336. ad pag. 103. inclus. per 17. columnas interrupto discursu legere Iansenistas cogamur. Ex illis sic, & non aliter, poterit D. Fagnanus contra Theologos argumentari. *Doctrina Iansenistarum est Regula morum: At doctrina de Probabilitate, quam tuentur Theologi, doctrinæ Iansenistarum est contraria. Ergo est contra Regulam morum. Ergo est pernitiosa. Ergo est abyssus, quæ abyssum inuocat. Ergo homines in infernum propellit*, &c. Sic inquam, & non aliter, poterit D. Fagnanus argumétari: si enim Iansenistarum doctrina non esset opinione suâ Regula morum, non expenderet septemdecim paginas, vt illorum verba referret, quibus nostram doctrinam corrigeret, & suam fundaret. *Et ad hoc Ego vno verbo respondeo.* Gloriosum esse dicò à Viris laudatis laudari. Addo & gloriosum esse à Viris damnatis damnari. Subiungo, in nos illos scribere, qui in sedem Apostolicam scripserunt, gloriosissimum esse: nec enim illi in nos (Theologos Recentiores) & Apostolicam Sedem scriberent, nisi nos & Apostolica Sedes eandem doctrinam teneremus.

Quale argumentum ex illis septemdecim colũnis formare D. Fagnan. possit?

Est gloriosũ Theologis Orthodoxis ab Heterodoxis condemnari.

22 *Cur tã breuiter Patres & Doctores Catholicos, & tam fusè Iansenistas adlēget?*

Hinc fortè inferet aliquis, non casu sed Consilio D. Fagnanum Iansenizare: id non dico, nec suspicor: at mihi valde mirum videtur, D. Fagnanum non esse deuotum Iansenij, & tam fusè Iansenistarum errores (imò & hæreses, vt statim videbis) vt mores reformet, assumere.

23 *Parrochi, qui Probabilitatum hostes: an Iansenistæ*

ADDVCIT PRIMÒ *num.* 336. & sæpè alibi Parrochos, qui in Mascarenham & Caramuelem scripserunt: qui probabilitatum vsum detestabantur: nam sciebant illo stante actum esse de Iansenij doctrinâ. Eò horum deuenit delirium, vt asseruerint non debere sequi Confessarium opinionem pœnitentis. Porrò pœnitens sicut non intelligit mente Confessarij, sed suâ; sic nec peccat voluntate Confessarij sed suâ

An Confessarius sequi opinionem pœnitentis teneatur

24 *De ignorãtiâ inuincibili.*

Pone primò, puerum A. ignorare inuincibiliter mollitiem esse scelus mortale. Vadit ad Confessarium, is veritatem scit. Ergóne debet iudicare illum puerum peccauisse mortaliter? debétne iubere, vt ille de peccato mollitiei se accuset? minimè: nam puer pec-

catum mortale non commisit stante hypothesi, & sacrilegam confessionem faceret, si se accusaret lethalis criminis, quod non commisit. Quid ergò? debet iudicare illum non peccauisse; at eundem indigere instructione. Monebit illum igitur veritatem, vt à vitio lasciuo desistat. Huic doctrinæ certissimæ & indubitatæ non volunt illi Parrochi acquiescere, & sic arguunt. Si ille puer in hypothesi excusaretur à peccato mortali, maximè ob ignorantiam inuincibilem. At hæc in Iure naturali non excusat. Ergo. Minor, quæ huius opinationis basis est, vt sincerè loquamur, est hæretica; interìm tam crudè Iansenius *tom. 2. de statu natur. lapsi. lib. 2. cap 5. columm.* 310. illam admittit, vt audeat dicere, *Ignorantia inuincibilis Iuris naturalis non excusat à peccato delinquentes:* tam temerè, vt *ibid. cap. 2. in titulo*, verba hæc præcipiti calamo scripserit, *Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, inuincibilis, non caret peccato, vt dogma Fidei ab antiquis traditum.* Stat igitur Parrochorum opinationem tolerari non posse.

An excuset à culpâ?

Iansenij error.

Pone secundò, esse probabilissimam S. Thomæ sententiam asserentis duas formas puro distinctas numero non posse inesse eidem subiecto: quod probabilis-
25 simè negat Scotus. Hinc in Ethicâ posse duas malitias puro numero distinctas inesse eidem actui, negant Thomistæ, asserunt Scotistæ. Modò expendatur hic casus. [Titius furatus est rem sacram in loco sacro.] Quot peccata commisit? Confessarius, si sit Franciscanus, iudicabit eum commisisse duo: vnicum, sed maius, si Dominicanus. Ergóne pendebit numerus peccatorum, quo irretitur pœnitens, ab opinione Confessarij? Ergóne antequam Confessarium eligat, hæc positio, *Titius duplex sacrilegium commisit*, nec erit vera, nec falsa: sed futurum erit, vt sit vera, si ad Franciscani pedes; falsa, si ad Dominicani prouoluatur. Quid, si sine confessione periret? Diui- 26
nitùs condemnaretur. Sed quâ sententia? An-ne, vt simplicis, an verò vt duplicis sacrilegij reus? Ajo (Candide Lector) pœnitentis peccata, neque quoad numerum, neque quoad speciem ab opinione Confessarij pendere; vnde, si Titius putauit se duplex sacrilegium in illo furto committere, duplex commisit; & hoc iudicare tenetur Confessarius, tametsi sit Dominicanus: &, si ille se simplex committere censuit, simplex commisit; iuberétque, vt sacrilegè confiteretur, qui Scotistarum fundamentis insistens illi, vt se de duplici sacrilegio accusare iuberet. Stat igitur Confessarium debere non iuxta propriam opinionem, sed iuxta pœnitentis probabilem sententiam iudicare.

An formæ puro numero distinctæ in eodē subiecto esse possint?

An duæ malitiæ distinctæ puro numero inesse possint eidē actui?

An ante cōfessionem sacramentalē dētur species & numerus peccatorum determinatè?

Conclusio.

Sed quid, si pœnitentis opinio est improbabilis? Debet videre Confessarius, an pœnitens laborauerit ignorantiâ inuincibili: quia, si hac laborauit, non peccauit. Interìm ignorantia fuerit vincibilis, aut inuincibilis, illum prudentem

Quid facere debeat Cōfessarius, vbi pœnitētis opinio est improbabilis?

denter instruat; ita videlicet, vt illum adiuuet.

27 *Parrochorũ errorem Archiepiscop. & Episcop. faciunt suũ.*

Hunc euidentissimum & intolerabilem Iansenistarum errorem fecit suum Archiepiscopus Mechliniensis, at illum in Epistolâ, quam D. Fagnanus profert *n.*337. non expressit. Reperitur tamen in Episcopi Gandauensis Epistolâ, quam profert *num.* 339. *pag.* 99. *b.* inter alias enim opiniones, quas *admodum laxas* & *pernitiosas* appellat, ponit hanc, *Quòd nempe Confessarius teneatur sub peccato mortali absoluere eum, qui iuxta probabilem sententiam operatus est: quamuis à parte rei sit falsa, & talis à Confessario iudicetur.* Et tandem hunc errorem, non solùm facit suum, sed illum etiam intendit & extendit D. Fagnanus, ne tantùm exscribere & nihil addere ex propriâ sententiâ dicatur. Id (quod fortè videbitur mirum) clarissimè ostendo: nam *pag.*42. *num.* 37. inter alia, quæ putat ad animarum perniciem à iunioribus resoluta, hoc adducit. *Scripserunt aliqui*, inquit, *sacerdotem teneri in sacramento Pœnitentiæ sequi pœnitentis opinionem, etiamsi pœnitens eligat minùs probabilem, & minùs tutam, & denegantem ex hoc capite absolutionem peccare mortaliter, vt Sanchez* cap.9.n.27. & 29. *& Ioannes Sancius in* select. disp. 33. num. 54. *quamuis credat opinionem pœnitentis esse falsam*, &c. Sanè errat primò D. Fagnanus, cùm dicit, *scripserunt aliqui.* hoc enim, quod ipse impugnat, scripserunt, scribunt, & scribent omnes. Errat secundò, cùm durius quàm Lutherani & Iansenistæ contra pœnitentem scribit. Vt hanc veritatem palpes manibus, paucas lineas subiungo. Inter Nouatores sunt multi, quos hæc controuersia non tangit; tales sunt Caluinistæ, & qui illorum ritu confessionem auricularem non admittunt. E Lutheranis multi in præcipuis his punctis caluinizant. Lutherani, qui Confessionem Augustanam, (quam hodie ipsamet Augusta non obseruat) sectantur, quales sunt Norinbergenses, Ratisbonenses, &c. confitentur genera peccatorum secundum præcepta Decalogi: Ianseniani speciem & numerum (non enim in hoc sunt Hæretici) exponunt. Vtrique in hoc conueniunt, quod in his, quæ Iuris Humani sunt, Confessarius debeat sequi pœnitentis sententiam, quia hunc insuperabilis ignorantia excusat: in his verò, quæ sunt Iuris Naturalis seu Diuini, Confessarius sequi pœnitentis opinionem non possit; quia in his ignorantia etsi inuincibilis sit, non excusat. Vnde cùm puer A. illorum sententiâ, etsi inuincibiliter ignorauerit mollitiem esse graue peccatum, illam admittendo peccârit mortaliter: debet in confessione se accusare de illo peccato, non vt ipse putabat, sed vt res est, & Confessarius scit. Ecce Nouatores (Lutherani, & Iansenistæ) non loquuntur vniuersaliter, sed de peccatis contra Ius Naturale & Diuinum. At D. Fagnanus vniuersaliter loquitur. Ergo Nouatorum (Lutheranorum, Ianse-

Eundem D. Fagnan. auget.

An Confessarius debeat se pœnitentis opinionibus attemperare?

28 *Caluinistæ sacramentũ pœnitentiæ reijciunt.*

Quomodo Lutherani & Iansen. cõfiteantur.

Quãdo apud Nouatores ignorantia excuset.

Ianseniſtarumque) hæreſim intendit & extendit.

29 *Sibi D. Fagnanus contradicit.* Præterea hîc, vt ſæpe ſolet, ſibi D.Fagnanus contradicit: nam, ſi Theologi dicunt peccare mortaliter Confeſſarium, qui non ſe accommodat opinioni pœnitentis, & illi negat abſolutionem; ſequi hanc opinionem eſt tutius. Ergo quare contrariam, quæ habet mortale coniunctum, nobis conſulit.

Conclusio indubitata. Sanè Confeſſarius, qui ſequutus Ianseniſtarum aut D. Fagnani errorem, noluerit ſe accommodare in Iudicio opinioni erroneæ pueri A. duo ſacrilegia euidenter committet: nam & erit hæreticus, iudicando ignorantiam inuincibilem non excuſare à culpâ; & temerabit veracitatem ſacramentalis confeſſionis præcipiendo, vt puer A. ſe accuſet de peccato mortali, quod non commiſit. Et quia hæc certa ſunt, & extra omnem aleam diſputationis, tranſeamus ad Ianseniſtas alios, quorum ineptiis D. Fagnanus chartam maculat, quæ poſſet melioribus rebus ſeruire.

30 *De Mechliniensi Archiepiscopo Iansenist. Principe.* PRoducit ſecundò à *num.* 337. & per quinque vel ſex columnas ediſſerit ſententias, quas intolerabiles iudicat Illuſtriſſimus D. Iacobus Boonem, Archiepiſcopus Mechlinienſis, Ianſeniſtarum Coriphæus, qui Sedi Apoſtolicæ inobediens, & ab illâ punitus totum turbauit Belgium: qui videlicet ſcripſit contra Romanum Pontificem libellum, qui inſcribitur, *Rationes, ob quas Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Mechlinienſis, Belgij Primas à promulgatione Bullæ, quâ proſcribitur liber, cui Titulus*, Cornelij Ianſenij, Epiſcopi Iprenſis, Auguſtinus. *Abſtinuit, ex mandato Regio allegata, & Catholicæ Maieſtati exhibita: è Gallico in Latinum tranſlata anno M. DC. XLIX.* in quo Ianſenianis hæreſibus nouas addidit, vt Hyperaſpiſtes meus euidenter oſtendit. *Scribit contra ſummũ Pontificem: Gallicè, & Latinè.*

Profectò in Epiſtolâ ad Eminentiſſ. DD. Cardinales Romanæ Inquiſitionis Præfectos, Ianſenio æſtuans, contra Probabilitatis ſanctiſſimum vſum iniurias euomit. Mira verba ſunt hæc. 31 *Quorum* (Theologorum) *ſtudium non tendit ad ſectandam Euangelicam veritatem, & traditam nobis à ſanctis Patribus vitæ normam, ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem pallio Probabilitatum obuelandam.* Ecce, quid poſſit præiudicium! Ianſenianam doctrinam *Euangelicam veritatem* appellat. *An Ianſen. hæreſis Patribus & Euangelio conſonet: an communis doctrina diſſonet?* Porrò Deum iubere impoſſibilia, & ignorantiam inuincibilem in Iure naturali non excuſare, eſt dogma Ianſeniſtis, Lutheranis, & Caluinianis commune; & quia illud in nihilum redigit doctrina de probabilitate, tres hæ ſectæ vnitis viribus in illam, quia rationibus nequeunt, armatæ contumeliis inſaniunt. *An Deus impoſſibilia iubeat? An ignorãtia excuſet?* Vnde idem Archiepiſcopus ibidem ait. *Dum aduerſus adulterinam hanc* (Catholicam) *Theologiam, ſolidioris doctrinæ Chriſtianæque diſciplinæ* (Ianſenianæ) *cultorum querelas audiri, & non ceſſant* *An cõmunis Theologia ſit adulterina?*

cessant Hæretici nobis vicini (Lutherani & Caluinistæ) *Ecclesiæ nostra Catholica, talia à quibusdam eius Doctoribus circa mores tradi*, &c. Pro se citat Ezechielem, de quâ citatione sic inquam. [Det vel vnum Patrem, qui illum locum aut alios similes ita exposuerit, & cessabit procella. At ipse vnicus illum locum contra Probabilitatum Assertores (hoc est, Orthodoxos) exponit: ergo Prophetæ imponit.] Omitto cætera: nam hanc Epistolam, vbi totum D. Fagnani opus, sum lineatim examinaturus & discussurus. Interìm videat pius Lector, quâ Rhetoricâ §. *Contigit.* Patres societatis depingat; nam cùm societas concessa diuinitùs sit, vt Ecclesiam contra hæreses suborientes propugnet, mirum non est illam sicut à Lutheranis & Caluinianis, sic etiam à Iansenistis odio haberi.

An contra illā inuehatur Ezech.

Iansenistar. odium in societatem.

32 *De Gandauensi Episc.*

PRoducit tertiò *pag.99. b.* Illustrissimi D. Antonij Triest, Episcopi Gandauensis Epistolam ad longum, in quâ etiam odium hominis contra societatem inuenies. Non ille amplexus est Iansenij hæresim, quod curaret aut intelligeret Iansenium; sed quia Patribus Iesuitis inimicabatur, censuitque multum illis facessere posse molestiæ, si suos subditos redderet Iansenistas. Hanc ob rem vestigiis Archiepiscopi Mechliniensis insistens, Sedi Apostolicæ obedire non voluit, sed euulgauit libellum contra summum Pontificem, in quo non solùm se posse, sed debere non obedire, non sine contemptu Apostolicæ Sedis contendit.

Est societatis hostis.

Oues suas, vt contra societatem concitet, Iansenismo imbuit.

Contra sedē Apostolicā scribit.

Obseruo nihilominùs in vtraque Epistolâ mirum interrogandi & consulendi modum, nam Doctores consuluntur, & censura præmittitur. Dicunt Consultores se mittere *nonnullas propositiones morales, admodum laxas & perniciosas examinandas.* Porrò, si nimis illæ laxæ sunt, si perniciosæ sunt, iam condemnatæ sunt: ergo, si modò in examen mittuntur, fuerunt ante examen damnatæ. Ab omnibus satyris & iniuriis, quas Episcopus Gandauensis resumit, vno verbo me expedio. *Opiniones, quæ illi displicent, si probabiles sunt, vt vt benigna dici possint, nec laxas nec perniciosas esse affirmo.* Ratio est; quia repugnat opinionem esse probabilem, & esse perniciosam conscientiis: nam sicut repugnat dari hominem, quin animal sit; sic dari opinionem probabilem, quin tuta sit. Et quia hoc demonstrant Theologi, detestantur Logicam Iansenistæ, & volunt sibi credi vociferantibus: at nos nisi demonstrantibus credere non debemus.

33. *Mirabilis consulendi modus. Mittuntur Propositiones examinandæ: & mittuntur earundem Censura.*

Cur Hæretici odio habeant Logicam?

Porrò centies eandem rem dicere cogor, vt vel semel intelligant, qui nolunt intelligere, vt bene agant. Sic inquam: Lector sincere attende. *Hæc propositio*, In materia morum ad securitatem conscientiæ non sufficit probabilitas: *est in materiâ morum. Ergo vel est euidenter falsa, vel euidenter vera, vel probabilis. Quidquid*

34 *Achilles contra Iansenianos.*

Iansenista

Ianseniſtæ dicant pro nobis militat. Ergo.

35 Primò, ſi eſt euidenter falſa (hoc hodie omnes Theologi, qui Logicam ſcimus, docemus) ceſſat quæſtio.

Quid requiratur vt aliqua Propoſitio ſit euidens?

Secundò, ſi euidenter vera dicatur: aut erit per ſe nota, aut demonſtrata. Si primum, tam neceſſariò ſubiecto prædicatum vnietur, vt qui neget, duo contradictoria cogatur admittere. Prodeant ergo illa contradictoria, quæ ex oppoſitâ (hoc eſt noſtrâ ſententiâ) neceſſariò inferuntur. Porrò magnum ingenium habuit Vaſquez, & hæc contradictoria debere ſequi, vt aliqua Poſitio euidenter falſa dicatur, aſſeruit: at illa ſequi ex probabilitatis doctrinâ non percepit: nam *in 1. 2. diſput. 62. cap. 9. pag. 300.* ſic inquit. *Conſtat igitur non eſſe contradictionem in mente illius, qui vtitur opinione alterius contra ſuam propriam, vt operetur: conſtat etiam non operari contra conſcientiæ propriæ iudicium ſingulare, ſed eum habere expreſſum iudicium, quo credit, illud ſibi eſſe licitum*, &c. Stat igitur D. Fagnani opinionem per ſe notam non eſſe. Si dicatur ſecundum (videlicet, D. Fagnani demonſtrari ſententiam) dabitur aliqua in mundo demonſtratio, cuius concluſio ſit D. Fagnani doctrina: agamus ergo Deo gratias, quòd poſt D. Fagnanum ſimus nati, vt illam demonſtrationem videre poſſimus. Prodeat igitur illa deſiderata demonſtratio, & moriamur doctiores. Sed quando illa prodibit? quando Paraſceue incidat in Dominicam. Parum dixi. Sanè prodibit illa, quando Triangulus formari nequeat tribus lineis.

An D. Fagnanus oculatior Vaſquezio ſit?

An D. Fagnani doctrina poſſit demonſtrari?

Tertiò, ſi dicatur probabilis ſeipſam deſtruet: nam ſic argumentabor. 36

Oppoſita doctrina ſe ipsâ diruit.

In materiâ morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis.

Sed hæc ipſa propoſitio, In materiâ morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis: *eſt in materiâ morum, vt omnes vident: & eſt probabilis, nam hoc condonare voluimus, licèt manifeſtè ſit falſum.*

Ergo hæc ipſa propoſitio, In materia morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis, *ad conſcientiæ ſecuritatem non ſufficit.*

SVbiungit quartò *à pag.* 101. per ſex columnas Doctorum Louanienſium Cenſuras, datas anno 1655. quando videlicet Louanij dominabantur Ianſeniſtæ. Porrò in Europâ, atque adeò in vniuerſo Mundo non eſt vlla vniuerſitas Louanienſi doctior, commodior, & celebrior. Eſt Salmanticenſi, Complutenſi, & Pariſienſi ſuppar; cæteris vniuerſis nobilior. Eius membrum licèt indignus ſum, & de laureâ ibi acceptâ ſemper glorior. Eramus in illâ Academia ante Auguſtini Ianſeniani editionem, Doctores, Licentiati, &c. Auditores, &c. velut fratres: agebamus vitam tranquillam & felicem: & ſingulorum labores lucrabantur applauſum.

Vniuerſitas Louanienſis laudatur.

Turbatur occaſione Ianſenij.

sum. At nescio, quo fato, illa Iansenij editio publicam tranquillitatem perturbauit. Doctores in partes dispescuit; plurimos concitauit; & ita illa sæuiit procellosa tempestas, vt siue Disputatio, siue Promotio haberetur, solus audiretur Iansenius. Si Declamatio Academica dicenda erat, præsciebamus de Iansenio futuram: illúmque cum Augustino componendum, si ex eis Orator erat: cum Luthero aut etiam Caluino, si ex nostris. Porrò tam illi, qui tuebantur, quàm qui impugnabant Iansenium, putabant se seruire Ecclesiæ; & vtrosque sincero animo processisse vel inde colligo, quod sanctissimi D. N. Innocentij X. Constitutionem libentissimè amplexi, sicut anteà ostenderant se esse ingeniosissimos, sic ostenderūt tunc se esse Apostolicæ Sedi obedientissimos & deuotissimos. Exulat nunc toto Louanio Iansenismus, & illa gloriosa Vniuersitas pietatis & doctrinæ splendore Orbem litterarium illuminat.

Constitutionem Apostolicam obedientissimè recipit, & obseruat.

37 Sanè omnes hi (Parrochi, Episcopi, Doctores) qui à D. Fagnano allegantur, sunt Iansenistæ, vt vidimus, & Assertionem hanc, *Ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis.* Sibi aduersariam iudicant: nam illa stante, quinque illæ propositiones ab Innocentio X. condemnatæ corruunt: & illâ corruente istæ stant. Quod est dicere, Nam illâ stante Iansenismus corruit, & illâ corruente Iansenismus stat. Vide infra *num.* 187.

Cur Iansenistæ tam crudo odio persequātur doctrinā de Probabilit.

Prætereà *num.* 401. vt habeant Iansenistæ, vnde suæ diligentiæ gratias agant, duo S. scripturæ testimonia D. Fagnanus adducit, & eodem modo exponit, quo Archiepiscopus Mechliniensis Iansenistarum Princeps, in Decreto contra Caramuelem, quod S. Romana & Vniuersalis Inquisitio 27. Octobr. 1655. condemnauit, quam ipsam S. Paginæ expositionem esse hæreticam multi iudicarunt Theologi, vt in Hyperaspite Ethico luculenter ostendo. Tandem *num.* 97. & 183. & 207. & 208. & 293. & 336. abutitur Quodlib. 8. quo, quia subobscure S. Thomas in illo loquitur, abutuntur etiam Iansenianì. 38

An sit Catholica sacra Pagina illa expositio, quam D. Fagnan. adducit?

De Quodlib. octauo D. Thoma. Cur illud toties producat D. Fagnanus.

39 A *num.* 335. multas diuersorum Theologorum Resolutiones adducit, vt ignorantes concitet contra doctrinam de Probabilitate. Respondeo ex illis multas esse euidenter veras; aliquas probabiles; aliquas, quæ etiam mihi non placent. Vnde concludo, *Quæ ex illis probabiles sunt, tutâ conscientiâ haberi possunt: & quæ tutâ conscientiâ admitti nequeunt, illæ non sunt probabiles.* Ecce vno verbo magnus colligendi authores labor, quem ibi D. Fagnanus adhibuit, nil illi prodesse demonstratur. Prætereà, Lectorem meum monere volo, Theologos prudentissimè ponere omnes circumstantias, quæ possunt sub considerationem venire, & sic Casus debitis limitationibus definire: cùm tamen D. Fagnanus, vt in illos concitet Lectorum

An omnes Resolutiones, quas D. Fagnanus condemnat, sint falsæ

Doctrinâ bonâ homines abuti solent.

Aduersarij multa imponūt Theologis, vt illos indoctis omnib. exosos reddant.

ctorum odia, eorundem Resolutiones ponat vniuersim, à limitationibus præcisas. Hoc clarè videbis in libro, cuius Apologema hoc, est Præcursor. Sed, quia in hoc syntagmate aliqua saltem exhibere debemus in specimen, ob oculos ponam vnicam propositionem, vt ex illâ de cæteris iudicium feras. *Copula cum coniugatâ consentiente marito non est adulterium.* Hæc Theologis imponitur ex Epistolà Archiepiscopi Mechliniensis Iansenistæ. Producat ergo Theologos, qui hanc absurditatem delirant: vel, si non producat, patienter toleret, si illum, &c. dicamus. Dixerunt Theologi in casu, maritum non posse procum aut vxorem occidere, non posse accusare, non posse satisfactionem petere: at illos non committere adulterium, nec violare Decalogum, nemo dixit.

An proci cũ coniugatâ copula sit adulterium, si maritus consentiat?

Tandem demus aliquem, aut etiam aliquos Theologos abusos fuisse doctrinâ de Probabilitate. Quid inde? Ideóne ipsammet doctrinam condemnabimus? Minimè. Multi Legistæ Iure Cæsareo, multi Canonistæ Pontificio abutuntur: sacram scripturam Hæretici in absonos sensus obtorquent; & multi ex Dei clementiâ peccatores libertinam agendi vitam occasionem arripiunt: Ergóne sanctæ Leges, sacri Canones, scripturæ Diuinæ, & infinita Clementia damnabuntur? Rideo; ride.

An res bonæ quibus mali abutuntur, damnanda sint?

40 PEriissent sanè illæ Doctorum Iansenistarum Censuræ, vel ad paucorum deuenirent notitiam, nisi voluisset illas D. Fagnanus in suo Opere perennare. Dices. Etsi Iansenistæ illi Censores fuerint, stare debebant Censuræ, nam illas Morales Quæstiones nullibi resoluit Iansenius; quamobrem Doctores illi Louanienses, vt vt, è Iansenismo fuerint, non fuerint hic loquuti vt Ianseniani. At ego illos, & Iansenistas esse, & vt Iansenistas pronunciasse respondeo; nam, quia *Quem semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.* Fieri non potuit, vt Iansenistæ aliter Censuras has exhiberent, quàm in aliquibus illarum suam hæresim protrudendo: & ideò eligam duas, quarum Censuræ, quas vt morum Regulas nobis proponit D. Fagnanus, sunt Hæreticæ.

An Doctorũ Louaniensiũ Cẽsuræ, quibus nostras vult D. Fagnanus reformare cõsciẽtias, sint hæreticæ?

Num. 25. Censuræ subijcitur hæc Propositio. *Vt actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, vt procedat ab homine, qui nescit & percipit, quid boni malive in ea sit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est neque mala.* Est euidens: & Fide Orthodoxâ tenenda. Euidens, quia nihil volitum, quin præcognitum: & nihil malum bonúmve nisi volitum. Est de Fide: Homo enim non nisi volens peccat. Sed qualis est quæso Iansenistarum iudicio. *Est*, inquiunt, *contra communia Theologiæ Christianæ* (Lutheranæ, Caluinianæ, & Iansenianæ debuissent dicere) *principia: & innumera etiam immanissima hominum peccata excusat cum pernicie animarum.* Est desumpta ex Iansenio hæc Censura; ille enim

Quãta aduertentia & cognitio requiratur, vt aliqua actio peccaminosa sit?

Hæc doctrina est tam clara & cõmunis, vt nullus Catholicus illã ignoret. Hæretica Iansenistar. Censura, quam tenet D. Fagnan. & vt fundamentum ad suã probandã opinationem supponit.

An actus per se primi sint peccata mortalia?

tom. 2. lib. 2. de nat. lapf. cap. 24. colum. 416. actus per se primos, factos ex ignorantiâ, aut ex inaduertentiâ, peccati mortalis condemnat. *Quamuis enim ignoretur esse peccatum, ait, factum tamen, quod concupiscitur, non ignoratur.* Ecce Iansenius, vt volitio sit peccaminosa, vt in rem interdictam tendat exigit; iudicat tamen non esse necessarium ad hoc vt Petrus peccet, quod sciat, aut aduertat rem quam facit, esse interdictam, adeóque malam. Scribo doctis; qui sciunt, quàm certum sit illud Axioma. *Quidquid agant homines, Intentio iudicat omnes:* prudentibus, qui nostram Theologiam Præterintentionalé commendant: Opus quidem longi studij & laboris; & nullius omninò vtilitatis fructúsve; si actus indeliberati, vt cum Iansenistis D.Fagnanus statuit, sunt peccata. Cæterùm, quia de his singulis Propositionibus in Hyperaspiste vberiùs disputaturus sum, hoc breuiter insinuasse sufficiat.

Quæ præter notitiam & voluntatem nostram in nobis fiunt, non sunt peccata.

41 *An debiles & fatigati ad ieiunium teneantur?*

Proponam aliam Assertionem, quæ *num.* 23. exhibetur. Suppono dari debilitatem & fatigationem, quæ morborum censui adscribi debeat, & à Ieiunio excuset: aliàs enim nec pedites iter agentes, nec fabri possent à legis rigore excusari. Ista fatigatio aut debilitas non debet esse leuis, sed grauis: quia, si leuis sit, à legis obseruantiâ nullum eximet. Vocetur igitur hæc defatigatio grauis, hæc debilitas grauis, *morbus A.* His positis dicunt Theologi, eum qui sine culpâ suâ incidit in morbum A. excusari à ieiunio. Addunt eum qui propriâ culpâ incidit in morbum A. etiam excusari à ieiunio, & ostendunt; quia formalis excusationis ratio est, morbus A; &, qui illo laborat, vndecumque ille morbus venerit, est ægrotus, & ieiunare non tenetur. Vnde, qui ludendo pilâ incidit in mortiferam febrim, si morbo impediatur, omittendo missam, & ieiunia violando non peccat, & hoc etsi propriâ ille culpâ in morbum illum inciderit. Sic Orthodoxi Theologi.

Iuniorum Theologorũ opinio.

An excusetur à ieiunio qui propriâ culpâ in morbum incidit?

42 *An potentia liberè perdita, virtualiter dicatur non perdita?*

Quid autem Lutherani, Caluiniani, Iansenistæ, & alij? Potentiam, liberè perditam, virtualiter esse non perditam. Vnde inferunt, neque liberi arbitrij carentiam, quâ eorum sententiâ præpedimur, nec ignorantiam inuincibilem, quâ interdum obnubilamur, tollere, quin peccemus mortaliter, quoties Ius Diuinum violamus. Et, si argumentemur Ignorantiam esse inuincibilem, Humanam voluntatem in illorum scholâ libertate carere, &c. distinguunt: id in homine lapso concedunt, ante lapsum negant: Adamus enim liberè peccauit, & peccando perdidit liberum voluntatis arbitrium, & incidit in ignorantias inuincibiles & insuperabiles: & quia suâ culpâ illud perdidit, & in has incidit, modò quando vel ab ignorantiâ inuincibili pulsus, vel à concupiscentiâ necessitatus, legem violat, non potest à peccato excusari.

Hæreticorũ Resolutio.

43 *Catholicorũ Resolutio.*

Ex suo fundamento Catholici hanc Assertionem deducunt: videlicet.

delicet. *Defessus ex quocumque labore* (taliter videlicet, vt inferat morbum A. iuxta superiùs dicta) *licitò vel illicitò. v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege ieiunij:* & ratio est, quia stante illo morbo, vndecunque prouenerit, ægrotus ieiunare non potest.

Iansenistar. de doctrinâ Catholicorũ Censura.

Ex suo Iansenistæ hac nota hanc eandem Assertionem inurunt, *Est falsa, & castis auribus horribilis.* Cur falsa? quia illa impotentia, etsi nunc sit necessaria, fuit libera: nam si post perditum voluntatis arbitrium, illa quæ necessariò facimus, imputantur, quia liberè libertatem perdidimus: à fortiori imputabitur Titio temeratio ieiunij, etsi hîc & nunc ieiunare non possit, quia liberè potentiam ieiunandi (valetudinem conuenientem) amisit: & liberè amissâ potentia apud Deum, vt aiunt, ita se habet, ac si amissa non esset. *Pergo vlterius.* Et cur, quæso illa Assertio castis auribus horribilis esse censetur? quia exemplum ponitur in materiâ lasciuâ, quamobrem omnia erunt castis auribus horribilia, quæ Theologi, Doctores, Ecclesiæ Patres, aut etiam sacræ Scripturæ dicant de sexto præcepto Decalogi. Ajo eum, qui ob adulterium fuit in carcerem trusus, non peccare die Dominica, etsi non vadat ad Ecclesiam, vt missam audiat: quia licèt liberè adulterium commiserit, nunc coactè & non liberè detinetur in carcere. Hæc sunt nimis clara: in quibus non est cur diutiùs immoremur.

An nostra doctrina sit falsa?

An sit horribilis?

Dices, quid de illo dicendum, qui in fraudem ieiunij iuit ad meretricem? Respondeo primò, de hoc non agere Assertionem à Iansenistis condemnatam, adeóque non esse cur hîc de illo disputetur. Respondeo secundò hunc passim à Theologis condemnari. Sed quomodo? dicam. Qui iuit ad meretricem, vt redderet se impotentem ad ieiunium, lasciuiendo dupliciter peccauit, & contra Castitatis & contra Abstinentiæ præceptum: at posteà quando est de facto impotens, violando ieiunium non peccat. Hanc doctrinam adfirmo. Considera Casum sequentem. [Est in naui Franciscus, & in Indiam Orientalem prouehitur; heri lectionis Canonicæ tædio proiecit in mare breuiarium: hodie dolet, luget, & confitetur. Erunt adhuc centum dies antequàm aliud breuiarium nancisci queat. Anne singulis diebus nouo peccato peccabit?] Respondebunt ex suis principiis Iansenistæ, etsi hodie confessus & sacramentaliter absolutus Franciscus, cras & diebus sequentibus omittendo officium diuinum peccaturum mortaliter, quia licèt illa omissio sit necessaria, hæc necessitas oritur à causâ liberâ: nam & nos necessariò Decalogum violamus, & peccamus; quia liberè in Adamo libertatem perdidimus: & ille, qui est æger & ieiunare non potest, peccat non ieiunando, quia accedendo ad Scortum valetudinem perdidit. At nos præcedentem doctrinam esse in peccato (hæresi) conceptam dicimus, & ideò aliter Casum resolu

An hæc doctrina faueat illi, qui egit in fraudem?

Quomodo iudicandus ille sit, qui iuit ad meretricem, ne teneretur ad ieiunium?

Quomodo ille, qui proiecit Breuiarium in mare, ne teneretur horas legere?

Iansenista. Resolutio.

Catholicorũ Resolutio.

resolu

resoluturi sumus. Afferemus Franciscum proijciendo breuiarium in mare peccauisse: at posteà omittendo Diuinum Officium diebus singulis non committere noua peccata: quia iam est illi impossibile legere, & ad impossibile nemo tenetur.

Libertas duplex est: alia in se, & alia in causâ.

Dices hinc tolli diuisionem illam, quâ dicimus alios actus esse liberos in se, alios in causâ: nam si conceditur (& debet omninò concedi) libertas in causâ, stat Iansenistarum doctrina asserens actus nostros, in nobis esse necessarios, in Adamo liberos, velut in causâ. Respondeo actum liberum in causâ esse illum, *qui ab aliquâ causâ necessariò procedit, quam tamen ego liberè hic & nunc possum tollere.* Hanc ob rem ignorantia inuincibilis non est mihi actualiter libera in Adamo, quia peccatum Adami hic & nunc non possim tollere, & actus meæ voluntatis, si essent necessarij, non possent dici liberi in causâ (Adamo) propter eandem rationem: quam, quia illi penetrare non volunt, peccatum originale cum actuali confundunt. Ergò vt doctrinam Hæreticorum à doctrinâ Catholicorum distinguas Assertiones has lege.

Quid libertas in causâ sit?

Hæretici doctrinam de peccato originali, & doctrinam de peccato actuali, toto cælo diuersas, confundunt.

I. *Liberum in causâ* (quod si contra legem sit, est peccatum) *vocatur illud, quod oritur necessariò à causâ, quam hic & nunc tollere possum* Est Catholica.

Catholicorũ doctrina.

II. *Liberum in causâ vocatur illud, quod necessariò oritur à causâ, quam licet hic & nunc tollere non possim, olim potui.* Est Hæretica.

Hæreticorũ doctrina.

Ex illâ primâ nascitur Doctorum Catholicorum Resolutio, quæ Gandauensi Episcopo, vtpote Iansenistæ, displicet: & ex hâc secundâ Censura illa quam Doctores illi Iansenistæ *num.* 23. eructant; & D. Fagnanus *pag.* 103. vt mores reformet, protrudit.

Resolutio.

Multum temporis impendi in præcedenti ponderatione: pergere vlteriùs volo: nam si quid adhuc vberiorem expositionem requirat, illam dabimus in Opere ipso, in quo hoc obsequium Ecclesiæ Orthodoxæ præstamus, vt lineatim omnia, quæ D. Fagnanus asserit, examinemus.

Videatur noster Hyperaspistes.

Interìm cuidam Instantiæ tacitæ, si fortè fiat, respondere debebo. Dices. Licet omni Authori (Philosopho, Theologo, Historiographo, &c.) quorumcumque scriptorum, etiam Hæreticorum verba referre, nec ob hoc dici debet, illos amplecti errores, quos recenset. Ergo non est incriminandus D. Fagnanus, quòd retulerit Iansenistarum (adeóque Lutheranorum & Caluinistarum) errores: aliud enim est referre, aliud amplecti.

An liceat errores referre?

Respondeo hanc Apologiam, nec esse veram, nec ad rem: & à solo homine Logicæ nescio formari posse.

Non esse ad rem euidenter ostendo: nam dum D. Fagnanum propugnare conatur, illum maculat. Sic arguo. Illa, quæ ex Iansenistis ille profert, vel sunt ad rem, vel non sunt ad rem. Si primum, erunt cum Opinatione illâ, de quâ disputatur, connexa.

An D. Fagnanus loquatur ad rem?



Ergo, vel illam inferent, vel ab illâ inferentur: quia nec aliam Logici, nec D. Fagnanus connexionem admittit. Si dicantur non esse ad rem, somniat, & non discurrit D. Fagnanus: ille enim somniare (apud Homerum, alio quàm solent homines sapere) dicitur, qui profert quæ non sunt ad rem. Ergo hac viâ male D. Fagnanus defenditur. Ergo dicendus est loqui ad rem.

D. Fagnan. errores Iansenistarum amplectitur.

Cæterùm Instantiam eandem non esse veram euidenter demonstro. Suas Conclusiones statuit ipse *num.* 124. illas probare incipit à *num.* 126. Posteà à *num.* 257. Fundamenta principalis Assertionis producit. Hæc multa sunt & varia, & omnia exorbitantiis plena. *Num.* 330. sic inquit. *Trigesimum nonum fundamentum elicitur ex vndecimo absurdo, quod est ex effrenatâ multitudine probabilium opinionum.* Ecce obloqui scit, sed loqui nescit. Minori tactus iaculo D. Radin, Magni Melitensium Magistri frater, Doctor Salmanticensis, Ordinis nostri Theologus, in publicâ disputatione pietatem & patientiam simulans, dixit, *Sea por amor de Dios la desuerguenza* Non ego sic respondeo, sed *Domine vim patior, responde pro me* sanctissimo D. N. Alexandro VII. edico *Num.* 335. hæc habet, *Quadragesimum fundamentum sumitur ex duodecimo absurdo de innumeris ferè opinionibus falsis, temerariis & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascumque opiniones probabiles tanquam ex equo Trojano in dies prodeunt*, &c.

Semper D. Fagnanus contumeliis Theologos recentiores opplet.

& *num.* 336. subiungit. *Libet etiam hìc referre assertiones periculosas plurimorum Recentiorum, quas Parrochi, &c. damnandas proposuerunt.* Ergo, quas Parrochi damnant, D. Fagnanus damnat, & falsas, temerarias, & scandalosas appellat. Progreditur, & *n.* 337. hæc habet. *Quadragesimum primum fundamentum sumitur ex Epistolâ typis excusâ Archiepiscopi Mechliniensis*, &c. & posteà pag. 99. b. *His addimus aliam consimilem Epistolam Episcopi Gandauensis*, &c. Ergo quas Archiepiscopus & Episcopus citati damnant etiam D. Fagnanus damnat, & Louaniensium Censuras, quas adducit *à pag.* 101. *a.* tanquam Regulas morum admittit. Argumentum D. Fagnani hoc est.

D. Fagnan. sentit cum illis Parrochis.

D. Fagnan. sentit cum Archiepisc. Mechlin.

Sentit etiã cũ Episcopo Gandauensi & tandem cum Iansen. Louaniens.

Doctrina de probabilitate, quam Iuniores tuentur, est falsa; quia ex illâ sequuntur sententiæ falsæ temerariæ & scandalosæ. Probat hanc. *Quia ex illâ sequuntur illæ, quas Parrochi, Archiepiscopus, & Episcopus damnandas proponunt.* Sed vnde ostēdit illas fuisse damnatas? nec enim Parrochis aut etiam illis duobus Prælatis, tantum est deferendum, vt propter illos vel arboris folium moueatur. Ostendit sic. *Quia illa sunt censurata & condemnata à Doctoribus Louaniensibus: quorum magni fieri debet Censura.* Ergo hanc, vt Regulam morum admittit D. Fagnanus subsumo. *At est Censura hæretica* (id demonstraui) subiungo, *sed hæretica doctrina ex verâ oriri nequit.* Ergo vt compleat syllogismum

Conclusio.

Vide n. 40.

mum D. Fagnani diligentiæ & ingenio relinquo.

Interim contra D. Fagnani Doctrinam lemmata D. Fagnani proponamus, & assumamus.

44 *Argumentamur contra D. Fagnanum ad hominem.* *Primum argumentum.*

I. *In dubiis tutior pars est eligenda. Ergò qui dubitat, vtram sequi debeat doctrinam, Fagnaniámne an communem, illam sequi debebit, quæ sit tutior. At illa est Ianseniana, hæc Catholica: ergo illa est nullo modo tuta, & hæc vnicè tuta. Ergo illam reijcere vnusquisque debebit, & hanc amplecti.* Forma discurrendi est legitima; primum antecedens stando rei naturæ est falsum: nemo enim tenetur facere meliora, & tutiora, sed quicumque Deo & legi satisfacit, si faciat bona & tuta. Cæterùm admissum in sensu formali postulat, vt benigniori, etsi minùs probabili, opinioni adhæreamus. Vide nostram Fundamentalem *num* 3. §. *Opinio tutior.* Interim quia hoc Lemma D. Fagnanus in sensu materiali sumit, Voluimus etiam eodem sensu illud assumere, vt argumentaremur ad hominem.

An amplecti meliora & tutiora teneamur?

45 *Secundum argumentū ad hominē*

II. *Non probabilia debemus, sed certa sectari. At nos posse probabilia sequi, non est probabile sed certum: debere sequi certa non est certum, (imò nec probabile sed falsum certissimè) Ergo debemus illam sequi sententiam, quæ docet* probabilitatem ad conscientiæ securitatem sufficere: *& illam reijcere, quæ* non sufficere, *asserit.* Discursus stat, & Legibus bonæ Logicæ consonat. Maior est euidenter falsa: sed siue concedatur, siue negetur æquè efficaciter contra D. Fagnanum concludit. Illam D. Fagnanus supponit; & nos ex illâ voluimus aduersus eandem ipsissimam argumantari.

Sufficere Probabilitatē, non est merè probabile, sed certum.

III. *Omnis doctrina noua, hoc ipso quod sit noua est de falsitate suspecta. Sed D. Fagnani doctrina est noua,* ante D. *Merendam* Doctoribus vniuersis inuisa. Ergo hoc ipso est de falsitate suspecta. Forma est legitima, Maior est falsa, vt ostenditur *num.* 61. Cæterùm, quia D. Fagnanus illam non solùm admittit, sed & assumit, illam & nos præmittimus, vt ad hominem argumentemur. Minorem à *num.* 66. demonstramus. 46 *Tertium argumentū ad hominē.* *An falsa omnia, quæ noua?*

Porrò omnia, quæ aduersarij contra communem Theologorum doctrinam congerunt, debilitate propriâ corruunt, nec indigent impugnatione, aut responsione. Cæterùm, quia fortè aliqui hoc ipsum nesciunt, quomodo singula illorum argumenta solui debeant breuiter exponamus. 47 *An, & quomodo Iansenistis, & D. Fagnano respondere debeamus?*

Scripsit contra indubitatam doctrinam de Probabilitate Librum magnum D. Merenda, ex quo sua hausisse videtur D. Fagnanus; in quo aliqua testimonia afferuntur, quæ secundum Grammaticam vtrique viderentur fauere. At omnia, quæ indigestâ mole conglomerantur, & plura, quæ etiam aggeri possunt, vno verbo iam ante centum annos à P. Angelo Clauasio sunt soluta: nam & ipse censet, *ad impossibile cogi homines, nisi probabilia securâ conscientiâ sectemur.* 48 *An illorum doctrina cogat ad impossibile.*

sectemur. Cùm igitur doctissimè Clauasius respondeat, vt Philomusus sciat qualiter D. Merendæ & D. Fagnani possint ratiocinia retundi, periodos sequentes scribo.

Primò, sibi Clauasius obiicit
49 illud Augustini, *Dimitte incertum, tene certum.* (habetur *de pœnit. dist. 7. si quis*) hoc est D. Merendæ, & D. Fagnani totos libros: hoc enim ipsi repetunt singulis paginis, vt laudandus Apollo sit, qui tot phrases infuderit hominibus, nam idem ponunt & centies reponunt aliis verbis. Et *verb. Opinio, num. 2.* respondet, *quia alia est certitudo in moralibus & alia in naturalibus. Propterea dicit philosophus 1. Ethic. quod disciplinati est in vnâquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam* (Capacitatem) *materiæ; æquè enim vitiosum est persuadentem quærere Mathematicum, & Moralem demonstrantem: non enim exsurgit Certitudo Moralis ex euidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus coniecturis, grossis & figurantibus,* &c. Ecce Certitudo est duplex; Realis, Moralis: illa innititur demonstrationi, hæc probabilitati. Vt viam certam teneamus præcipit Augustinus, sed materiæ in quâ versamur, proportionatam: si enim iussisset, vt vel in Geometricis Moralem, aut in Moralibus Mathematicam sequeremur, impossibilia ille iussisset, nam in Geometricis vix vllas probabiles sentētias, in Moralibus paucissimas demonstrationes reperio. Secun-
50 dò, eodem modo soluit illud Axioma, *Tutior pars est eligenda*: (*ex cap. iuuenis de spons.*) & illud: *Qui amat periculum, peribit in illo*: (*ex Ecclesiast. 3.*) Argumento hinc deducto respondet dicens. *Ergo videtur se exponere periculo, qui in Vniuersitate opinionum non eligit tutiorem? quia hoc verum esset, quando propriè dubium est,* (nempè quando succurrunt rationes leues) *sed quando est opinio,* (quando rationes probabiles & graues succurrunt) *secus est: quia, nec tunc sumus in dubio, nec consequenter exponit se quis periculo: quod bene nota.* Eodem modo omnia, quæ D. Merenda, & D. Fagnanus, dicturi erant, præoccupat doctissimus P. Magister Marcus Serra Alcadianus. *Id non dicunt,* ait, *quia sit necessariò faciendum; sed quia melius & rationi conformius videtur, vel loquuntur in casu dubij.* Addo ego. *Vel loquuntur ex suppositione præcepti, nam in materiâ probabili præceptum Legitimum obligat.* Vide *num. 110.* Quorum omnes responsiones eò tendunt, vt ostendant *homini Deum impossibilia non præcipere.*

An, vt sequamur certa, iusserit Augustin.

Clauasij sententia.

Certitudo duplex: Ethica & Physica.

An in Geometriâ sint sententiæ probabiles?

An in Ethicâ certa?

An se exponat periculo, qui sequitur opinionem probabilem?

Distingue semper opinionem à dubio.

N. B.

Serra sententia.

An præceptū obliget in materiâ probabili?

(A)

SCripsit pro communi doctrina plurima S. Thomas, & in vno loco à Iansenistis allegatur, in 51
quo esse obscurus videtur: videlicet, *Quodl. 8. art. 3.* Rem expedit vno verbo P. Serra dicens Angelicum Doctorem, vt ex contextu patet, agere de dubio, non autem de probabilitate. Vbi enim de hac disputat, semper illam docet sufficere ad securitatem conscientiæ.

De Quodl. 8. D. Thomæ, quod pluries D. Fagnanus producit.

Patriar

(B)

52 *An veteres doctrinâ de Probabilitate vsi sint?*

PAtriarchas & Ecclesiæ Doctores probabilibus sententiis in praxi fuisse vsos *à n.66.* ostendo. Fuit vsus opinione probabili Adamus *num.* 79. Eua *n.* 69. Melchisedech Ægypti Pharao, *n.*90. Isaac in benedictione Iacobi *n.*94. Machabæi *n.*95. S.Petrus. S. Paulus & alij Apostoli *n.* 98. Augustinus *num.* 104. Gregorius *n.* 110. Bernardus *num.* 112. S. Thomas *n.* 115. S. Brigitta *num.* 140. &c. Angelinum *num.*145.

(C)

53 *An summi etiam Pontifices in dispensationibus, legibus, &c.*

REsolutio vndecima, quæ à *num.* 136. expenditur statuitur his verbis. *Eadem D. Fagnani doctrina accusat sceleris innumeras sanctissimorum, & prudentissimorum summorum Pontificum Operationes, Dispensationes Leges*, &c. & multis exemplis demonstratur.

(D)

54 *An etiam sanctissimus D. N?*

Si D. Fagnani doctrina stat, corruūt omnes Pontificum Bullæ de immaculatâ conceptione.

EA, quæ in Bullis Apostolicis exstant, & illa quæ D. Fagnanus affirmat componi non possunt, Ideò Resol. XII. *num.* 151. habes hoc Lemma, *Eadem D. Fagnani doctrina accusat sceleris & nullitatis Bullam S. D. N. Alexandri septimi ad Instantiam Regis Hispaniarum nuper editam*, & hoc ipsum toto illo Capite solidissimè ostenditur.

(E)

55 NOstri æui Hæreticos (Lutheranos & Caluinistas) quod contra antiquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam noua delirent dogmata, Controuertistæ *Nouatores* appellant: ita, vt iam vocabulum istud obtineat, & iuxta commune acceptum Theologorum Lexicum, *Hæreticos iuniores* significet: quamobrem hodie illos ne distinguamus in classes, vbi eodem modo exorbitant, communi voce dicimus *Nouatores.* Loquendum est cum multis, & apud Controuertistas hodie *Nouatores*, & *Hæretici*, duo sunt nomina, & eadem res. Laurentius Beyerlinck, *magni Theatri tom.* 4. *verb. Hæresis* §. *Epitheta*, clarissimè huius vocis significationem exponit. SECTARII NOVATORES *nomina communia sunt omnibus, qui nouis opinionibus in in rebus fidei adhærent, eásque pertinaciter asserunt.* Eodem sensu accipit hanc vocem Becanus, nam *libr.* 2. *de triplici sacrificio cap.* 8. *num.*4. producit locos nonnullos Lutheri, & ait *similia habent Nouatores alij.* Sed qui alij? citat Caluinum & Kemnitium. Et *n.*6. in Titulo, *Argumenta Nouatorum.* Deinde *n.* 9. sub finem. *Vnde patet ex his omnibus Augustinum nobiscum sentire contra Nouatores: quod ipsi negare non audent.* Deinde *num.* 10. *in fin.* ait, *Nouatores omnia confundunt, vt faciliùs decipiant incautos.* Et tandem *cap.*8. *num.*1. ostendit armari mendaciis Hæreticos, aitque. *Omitto calumnias Nouatorum*, &c. Baronius *anno Christi* 448. *tom.*6. *Editionis Romanæ*, Hæreticos Iuniores componit cum antiquis, & ait:

Nouatorū vocabulo intelligūtur Hæretici.

Beyerlinck.

Becanus.

Baronius.

Ex quibus intelliges supergressos esse nostri temporis Nouatores impudentiam Eutychetis. Henriquez lib.8. *de Eucharist. cap.*20. explicat nomen dicens *Hæretici dicuntur Nouatores.* Seuerinus Binius *tom.* 3. *Concil. part.* 1. *in Notis.* Sedente Zachariâ Papâ *pag.* 361. sic inquit. *Nouatores Hæretici nouitatis, arrogantiæ, & perduellionis amantissimi.* Bzouius *de Roman. Pontific. cap.*25. *fol.*307. Quales sint Hæretici pingit perfectissimè hâc lineâ. *Nouatores anicularum fabulas assumentes.* Spondanus *tom.*2. *ad annum* 800. agens de Baronio, ait, *Refutat ea, quæ scripserunt Nouatores.* Sed & Veteres sui Æui aborientes Hæreticos etiam *Nouatores* vocarunt: & meritò; nam, vt Henriquez *lib.*8. *de Euch. cap.* 20. doctè monet, *semper eorum in Ecclesia doctrina agnoscitur noua.* Et Tertullianum *lib.* 3. *de præscript. cap.* 4. & Epiphanium *in Ancephal.* citat in margine. Idem habet Canus *lib.*12. *de locis Cathol c* 8 & Sotus *d.*9.*q.*21 Vtentes authoritate Vincentij Lirinensis *contra profanas vocum nouitates.* Et deducitur *ex cap præceptis* 2. *dist.* 12. Consonant alij Authores, & etiam citati eodem modo loquuntur aliis locis. *Nouatorum* nomine Hæreticos intelligit Baronius *an.* 1118. *pag.* 132. *Editionis Romanæ,* & sæpe alibi. Eodem vtitur Lexico Seuerinus Binius *tom.* 3. *Concil. part.* 2. *pag.* 163. Consonant Tertulliano *lib.*1. *contra Marcionem,* Author vocabuli esse videtur Irenæus *lib.* 1. *cap.* 2. *& lib.* 3. *cap.*4.

Henriquez. *Binius.* *Bzouius.* *Spondanus.*

56 *Veteres.* *Tertullian.* *Epiphan.* *Canus.* *Sotus.* *Lirinensis.* *Irenæus.*

vbi Hæreticos *Nouatores* appellat cuius insignem locum producit Bzouius *vbi suprà.* Stat igitur olim, & nunc *Nouatorum* nomine non nisi Hæreticos significari.

57 *An D. Fagnanus Iuniores Theologos* Nouatores *appellet?*

Modò videat sincerus Lector, quâ D. Fagnanus conscientiâ viros pios sanctósque, quos vel iam suscepit empyreum, vel suscepturum deuotâ opinione speramus, priuatâ authoritate inurat, Et cur illos *Nouatores*, hoc est Sectarios & Hæreticos vocitat? Quod à Deo & veritate sint; & illius opinationi, toto Iansenismo grauidæ, assentiri non audeant. Nec hîc patiar D. Fagnanum se *Nouatorum* nomine, non Hæreticos; sed eos, qui nouas Doctrinas edocent, intelligere; quia tenetur vel non scribere, vel saltem Grammaticam scire, hæc enim præcipit, vt voces in communi significatione accipiamus: nam, si voces nihil aliud significant, quam id quod profert Etymon, inferam primò. Ergo partes, quæ S.Petri templum (mundi octauum miraculum) constituunt, non sunt lapides, nam *lapis* teste S.Thomâ, dicitur à lædendo pede, & illæ impactæ in muros pedes non lædunt: inferam secundò, Ergò Alexander VII. non est Pontifex; quia Pontifex dicitur à ponte faciendo [quod Sacerdotes olim pontem Sublicium struxerint, *Pontifices* vocati sunt] & ipse, tametsi ita solus Vrbem ornauerit, vt omnes Prædecessores excelluerit, hucúsque nihilominùs nullum pontem ædificauit. Prætereà, si nos potest *Nouatores* impunè

An Nouatorum *nomē in bonū sensum possit trahi.*

Quo sensu voces debeāt accipi? *An vocum significatio respondeat Etymo?*

Lapis *vnde dicatur?*

Pontifex *vnde dicatur?*

Alexander VII. Vrbem plurimis & his magnificis ædificiis illustrat.

58

An S.Thom. Scotus, &c. possint vocari Hæretici?

Quid sit αἵρεσις?

impunè dicere, quia vocem priuatâ authoritate aliter accipit quàm totus Orbis: cur non etiam S.Thomam, Scotum, & Ocham̃um *Hæreticos* nominat, nam αἵρεσις diuersæ doctrinæ electio significat, & S.Thomam, diuersam à Parisiensi antiquâ, Scotum diuersam à Thomisticâ, Ochamum diuersam à Scoticâ elegisse, cooptasse, docuisse certum est? Ajo ab illo S.Thomam, Scotum, Ochamum, &c. nonobstante vocis Etymo *Hæreticos* vocari non posse, nam vocum significatio, sicubi videatur æquiuoca à circumstantiis personæ loci & temporis contrahitur & determinatur: quia sicut vox *lingua bouis*, aliud in macello, aliud in pharmacopæâ significat (ibi enim carnem, hîc Florem sonat) sic Hæresis aliud significat apud Ethnicos, aliud apud Christianos. Vt vt illi vocem acceperint in bonam partem: vt vt Cicero in *Paradox.* dixerit. *Cato in eâ est hæresi, quæ nullum sequitur orationis florem*, &c. apud nos aliter obtinet illud vocabulum. Henrici Farnesij Calepinus. *A Theologis* Hæretici *dicuntur, qui sectam aliquam diuersam à receptâ Religione aut instituunt, aut sectantur.* At apud Theologos idem *Nouator* & *Hæreticus* sonat, Ergò Hæretici sunt, qui Nouatores, & qui Hæretici non sunt, *Nouatores* saluâ conscientiâ appellari non possunt.

Quomodo vocis æquiuocæ significatio côtrahatur, seu determinetur? Lingua bouis.

59

Nomina, Hæreticus, & Nouator sonant idẽ.

60 *An D.Fagnanus Recentiores*

Sed dices D. Fagnanum non ita temerarium esse, vt nostri æui Theologos; Sanctissimos, Doctissimósque *Nouatores* appellet. Est quæstio facti, & liber in manibus multorum exstat. Ille *n.* 43. §. *Ego verò pag.* 44. sic inquit. *Totam hanc materiam ad mores pertinentem diuidam in quatuor principales quæstiones, ex quarum resolutione, ni fallor, clarè apparebit, quantùm à semita veritatis recesserint Nouatores probabilitatum.* Hic aptè Hispanus *Lo que hauia de decir la rueda, diçe el carro.* Ipse doctrinam nouam, & Orthodoxis inauditam protrudit, & antiquæ doctrinæ defensores *Nouatores* appellat.

Theologos Nouatores, seu Hæreticos nominet?

Vbi vidit sibi permitti Theologos omnes *Nouatores* vocare, audentior redditus, iniurias loco argumentorum euomit. Aliquas in specimen dabimus. 61

An iniurias excipiat?

Pag.38.num.14. *Ponuntur duodecim absurda, quibus ostenditur, quàm sit perniciosa Christianæ Reipublicæ & Saluti animarum hæc doctrina de liberâ electione opinionis probabilis.* Et pag.41. num.25. *Quia abyssus abyssum inuocat, ab hoc secundo probabilitatis gradu scholastici nostri sæculi processerunt ad tertium.*

Qualis sit Theologorũ doctrina opinione D.Fagnani?

Pag. 43. num. 41. *Vides quàm largè propalata sit hæc doctrina probabilitatum in pernitiem animarum.* Pulchra phrasis! Sed vnde illam D. Fagnanus, vnde & censuram sumpsit? A Ianseniſtarum resolutione, quam ille *pag.* 103. *num.* 25. adducit; & nos paulò antè esse hæreticam suasimus. Eam recognosce non enim in toto Luthero, aut Caluino est hæresis manifestior, quàm illa. 62

An sit perniciosa?

D. Fagnan. non solùm Resolutionẽ, sed & verba à Iansenist. haurit, Vide, quæ diximus superiùs n.28.

Censuram hanc aliis verbis expressam iniuriis, quod solet, munit armátque *pag. 115. a.* dicens. *Manifesta est illusio, quod doctrina de liberâ electione Opinionis minus probabilis tollat scrupulos, & serenet conscientias.* Theologi inter reuelationem, & illusionem, hoc discrimen statuunt, quod illa à Deo sit, hæc sæpe à Diabolo. Interìm, an ad animarum perniciem hæc doctrina sit videbis *à num. 161.*

An totius mũdi Theologi sint illusi? Inter Reuelationem & Illusionem differentia.

64 Pag. 116. num. 419. *Hac via non ad Lauream Empyrei, vt putat Caramuel; sed ex Diuino Oraculo ad infernum deducit.* Non sum facilis in censurandis doctorum virorum sententiis, at temerariæ Censuræ grauissimam merentur Censuram. Itáne? Doctrina probabilis ad infernum deducit? sed quò deducet improbabilis? esto ab Adamo huc usque omnes Viri pij & docti iuerint ad infernum: esto Angeli gloriæ lumine perfusi tandem damnati sint. Sic vult D.Fagnanus: quo ergo ibunt qui D.Fagnano subscribunt: illi enim quos in infernum mittit, doctrinam euidenter veram sequuntur [nam ad conscientiæ securitatem sufficere probabilitatem euidens est] hi autem euidenter falsam: & nisi contrahatur, & debito modo limitetur (hoc est, ad nostram reducatur) hæreticam. Non licet sic de sanctis (Hominibus, & Angelis) loqui, & maximè quando nec vmbram rationis probabilis pro opinatione sua præcipite meus D. Fagnanus habet. *Vide n.15. & 187. & vide à n. 66. & à num. 145.* Et hîc obiter: Cur Caramuelem, quæso, citat? An id solus affirmat Caramuel? Hoc tenuerunt, tenent, tenebúntque omnes Viri docti: à quibus D.Fagnanus ausu temerario discedit. At dicet se quadraginta fundamenta seu rationes dedisse, vt omnes sciant, se sine causâ non abesse à communi sententiâ. Et ego rideo: & vbi sit Logica interrogo, si verborum colluuies indigesta & elumbis *ratio* debeat *Fundamentum* vocari. Vide inferiùs *num. 163.*

An doctrina de probabilitate in infernum deducat?

An omnes Theologi dãnati sunt?

An etiam Angeli?

Nostra est euidenter vera: & D. Fagnani doctrina est euidenter falsa.

An in toto D. Fagnano vel vna reperiatur cõtra cõmunẽ doctrinam ratio, quæ probabilis sit?

Ego interìm noto illud Diuinum Oraculum, cuius meminit desumi ex verbis Christi *Matth. 7. 14.* & Sapientis *Prouerb. 6.* quæ *pag. 115. Quod ergò & §. ad motiua* ponuntur, & esset valdè mirum, nullum Ecclesiæ Patrem illa verba intellexisse; & solos Iansenistas scire, quo sensu, Christus & sapiens sint loquuti. Archiepiscopus Mechliniensis, qui illos locos contra Probabilitatem adduxit, quem sciam, primus fuit. Patres sanè tam Græci, quàm Latini Euangelia exposuerunt. Det D.Fagnanus vel vnum à quo hauserit hanc interpretationem; & manus dabimus. Sed, quia dare eum non potest, fateatur se contra Sanctos Patrésque verbis Christi & Sapientis abuti. Vnde, si verum sit nullum Patrem hoc sensu locos illos intellexisse, videat sincerus Lector quomodo illa expositio cum hoc iuramento componatur. *Sacram Scripturam, &c. admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam*

An D.Fagnanus sacrã Scripturam à se habeat?

An illam eodẽ sensu, quo Iansen. exponat?

An vel vnũ Patrem à se habeat?

65

An in sensu literali liceat ab omnibus simul Patrib. abesse, & ad singulares

interpretationes sacrã scripturam propellere? *accipiam aut interpretabor.* Maximè, cùm multi Viri clari affirment interpretationem illam Iansenistarum, quam hîc D. Fagnanus clausis oculis accipit, esse hæreticam. Sed de hoc noster Hyperaspistes vberrimè. Interim quidquid de Theologicâ Censurâ sit, dabo Censuram scholasticam, quæ forsitan carebit responsione. Sic discurro.

66 *An doctrinã Capitis, Ne innitaris. D. Fagnan. sequatur?* Magno vocum strepitu & foliorum apparatu Cap. *Ne innitaris.* obnubilat D. Fagnanus, cùm breuiter deberet exponere. Et probo. Quia illud, si intelligeret bene, etiam bene obseruaret. At non obseruat. Ergò. Minorem euidenter ostendo. Capitis tenor est. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit.* Desumptum est hoc Lemma ex Hieronymo *in Parabolis cap. 3.* eadem verba reperiuntur in Glossâ. *An propria innitatur Prudentia?* Ergò D. Fagnanus, vt exponeret Christi & Sapientis verba, prudentiæ inniti propriæ non debuit; non debuit, quæ sibi dicenda videbantur, Patrum Interpretationibus præponere. At innixus propriæ prudentiæ fuit, & suam expositionem (qualem, qualem) omnibus Patrum Expositionibus
67 præposuit. Ergò. Si nolit minorem concedere (rem iustam & maximè necessariam postulaui, & expostulo) det quæso vel vnum Patrem, qui illis Christi & Sapientis verbis dixerit, *vsum Probabilitatum condemnari.* Habebit ad manum Iansenistas, quos allegare possit, inter quos Archiepiscopus Mechliniensis clarissimè loquutus est. Habebit etiam fortassis Lutheranos, Caluinianos, &c. at nullos omninò Patres. Ipse igitur cùm Caput *Ne innitaris* dilucidare vult, ipsummet Caput apertissimè arietat. *An Patrib. & non potiùs Iansenistis subscribat?*

Pergit contumelias euomere, & eadem pag. 116. honorat Caramuelem, vt solet. Vt innotescat omnibus se Logicam non didicisse, & quid *Demonstrationis* nomine intelligatur, nescire; ait. *Ad imaginariam Demonstrationem Caramuelis.* Est Demonstratio, & euidenter concludit illa ratio quam Caramuel vocat Demonstrationem. Illa, illa, vel inuitis DD. Fagnano & Mercoro manet victrix: quod vel inde collige, quòd Argumentatores, cum destituuntur syllogismis, ad iniurias recurrant; quamobrem, si illam demonstrationem potuissent firmâ aliquâ ratione elidere, *imaginariam* non vocassent. 68 *An imaginaria sint demonstrationes Caramuelis?* *Cur D. Fagnanus ad iniurias recurrat?*

Ibid. *Infelix ergò fuit Ecclesia, quæ huiusmodi laborauit ignorantiâ per quindecim sæcula, si nunc dicenda est felix ex multitudine opinantium.* Hîc assumit defendenda verba D. Fromondi, primarij D. Iansenij discipuli, qui vt viam doctrinæ, quæ clam cudebatur, sterneret, conabatur in scholam Louaniensem protrudere *ad securitatem conscientiæ non sufficere opinionem probabilem*, & exclamabat crebrò, *O felix primitiua Ecclesia, quæ probabiles opiniones non habuit.* Vide num. 16. 69 *Iansenistar. patrocinium assumit.*

Num. 174. *Mirum autem est* 70

 tam

An Theologorum demonstrationes sint levia fundamenta? Cur illi videantur levia? An sit Logicus? An Logicæ expers, possit vel vnicam controuersiã dirimere? Miror hominis animositatem: nec possũ capere, quid haberet in mẽte, cùm tam atrocib. iniuriis viros tot, tã sanctos, & tam doctos lacessit.

tam levi fundamento, quam graues & periculosas quæstiones decidant. Sunt verba. Nullum subesse periculum demonstrarunt Theologi: si vim rationum non capit sibi imputet, qui in iuuentute Logicam addiscere noluit: sibi, qui in senectute Logicæ expers subtilissimam quæstionem ingreditur, in quâ sine Logicâ nihil omninò examinari, nihil concludi potest.

Num. 181. *Porrò hæc doctrina multo pernitiosior est saluti animarum.* Sunt contumeliæ, quæ nunquam poterunt probari.

Num. 210. *Vides ergo quàm multa sequantur ineptiæ & absurditates ex tua Assertione.* Ostendit se Logicam nescire.

Num. 336. *Libet hic referre Assertiones periculosas plurimorum Recentiorum in materia Theologiæ Moralis*, &c. Fuit intra cortinam Apollinis, & nunc ex tripode oracula reddit.

71 *An aperire os, aut stylũ mouere in Theologicis possit sine errore? An Christus incarnatus sit?*

Sed solamen inde adipisci possumus, quod vapulemus ab homine, tam docto in Theologicis, vt cùm vult loqui religiosissimè, nec Christo, nec Deiparæ parcit. De Incarnatione verbi, agit *pag.* 40. (quæ malè inscribitur 38.) & ait, *In quæstione, qua inquirit, vtrùm, si Adam non peccasset, Christus incarnatus fuisset? tutâ conscientiâ alterutrum asseri posse.* Ergò Christus fuit incarnatus. Ergò antequam incarnaretur, erat in mundo Christus, qui incarnari deberet, si peccasset Adam; &, si non peccasset, non deberet: vel in aliâ sententiâ, qui etsi non peccaret Adam, Incarnari deberet. Ille, quæso, Christus antequam incarnaretur, habebátne carnem, an non? si habebat, ad quid debebat incarnari: &, si erat incarnandus, non habebat. Ergò, si Christus erat excarnis, quid erat? Ecce incarnationis mysterium contradictionibus inuoluit, quia terminos Theologicos nescit. Sed neque feliciùs D. Prosper de Assumptione Deiparæ philosophatur *pag.* 38. *num.* 17. sic inquit. *Sanctissima Virginis corpus & animam esse in Paradiso piè creditur.* Quid est *piè creditur?* Ego Catholicos, qui Diuinis mysteriis muniti deuixerunt, esse in cœlo piè credo: ergo non est certiùs Deiparæ corpus quàm illorum animas in cœlis esse. Rideo. Corpus Deiparæ vnitum animæ triumphare in cœlo tenent Patres; singulæ testantur Ecclesiæ: &, si Ascensus est bona argumentandi forma, id tenet Orthodoxa & Vniuersalis Ecclesia: & quod in rebus ad fidem pertinentibus rarò contingit, id ipsum morali demonstratione persuadetur. *Arguo primò*, si esset apud nos Parthenium corpus, alicubi illius saltem aliquæ ostenderentur reliquiæ; quia, cùm deuotio erga Virginem Matrem sit magna, non manerent eius reliquiæ sine debito cultu, si in terris essent. At nullibi gentium (nusquam apud Catholicos; nusquam apud Schismaticos; nusquam apud Mahometanos, quia & ipsi erga Diuam amore speciali feruntur) reperiuntur. Ergò in terris non sunt. *Arguo secundò.* Multum in reliquiarum materiâ peccauit indiscreta

Legãt, quæso, docti has instantias.

Incarnationis mysteriũ cõtradictionibus D. Fagnanus implicat.

72 *An certum sit Deiparæ corpus & animam in cœlis esse: an id piè tantũmodo credendum sit?*

An Deiparæ corpus & animam in cælis esse possit ratione manifestâ probari?

73 *An Virginei corporis alicubi ostendantur reliquiæ?*

Hoc argumentum primum à deuotione erga Diuam desumitur. Hoc secundũ à magno reliquiarum abusu.

Speciali prouidentia Deus homines manutenet ne errent Deipara, quæ in terris non sunt, ostendendo reliquias.

indiscreta deuotio, multum etiam auaritia & malitia: vnde hodie prudentissimè, nullæ permittuntur exponi, quæ authentico diplomate careant. At nullibi aut indiscreta deuotio, aut auaritia, aut malitia Deiparæ reliquias ostendit. Ergò non solùm Deus illius Virgineum corpus in Empyreum assumpsit: sed speciali prouidentiâ genus humanum manutenet, ne alicubi aut ex ignorantiâ aut malitiâ in hoc genere oberret. Ergò non piè (pietas enim cum probabilitate componitur) sed certò credimus; imò, si præmissæ rationes bene ponderentur; certò scimus Deiparam corpore & animâ regnare in Cœlo.

(F)

74 *An doctrina de Probabilitate, quã Iuniores propugnãt, sit inuenis;*

QVàm sit in historiis & libris Theologorum D. Fagnanus versatus cognoscet liquidò, cum hanc Propositionem, *Doctrina de Probabilitate, quam Iuniores tuentur, vix habet ætatis centum annos*, cum sacrâ Paginâ, veterum Patrum Libris, & Historiis fide dignis componat: quoniam natam fuisse cum mundo, & continuâ successione ad nos deuenisse à *num.* 66. ostenditur: & vt doctrinæ certissimæ concilietur authoritas, illam habere locum etiam in Cœlo apud Angelos glorificatos à *n.*145. demonstratur.

An etiã in cœlo locum habeat?

(FF)

75 *An Iuniores*

IVniores bonos mores per centum annos corrupisse D. Fagnanus nimis confidenter affirmat. Ergo libros Morales Vir aliis negotiis occupatus non legit. Oppositum certissimum est. Hodie agitur *de minimo quod sic*, ante annos verò centum *de maximo quod non.* Sunt termini Philosophici & Canonistis inauditi. Ponamus illos clariùs. Hodie agitur de rebus minutissimis, & sunt, qui aut omittere vnam tertiam, aut octo vncias in collatione die ieiunij sumere, &c. criminis lethalis incusent, cùm tamen ante annos centum totum officium omittere, ieiunium soluere; & vniuersim omnes Humanas (Ecclesiasticas & Politicas) leges sine contemptu temerare non esse peccatum mortale Classici Doctores asseruerint. Interim Iuniores dum nimis constringunt conscientias, poterunt in excessu peccare. Constitutiones S. Dominici ad liter. I. habent hæc dignissima verba. *Declaramus, quod tria sunt præcipuè, quæ salutem impediunt animarum.* Exponunt primum, secundùmque & subiiciunt. *Tertium est austeritas in Consiliis & Opinionibus: terrentur enim homines ex hoc in tantum, vt salutem propriam negligant, quapropter, & relaxanda est, quantum fieri potest* (nempè intra terminos probabilitatis) *rigiditas & austeritas in Consiliis; ac homines benignè tractandi sunt.* Sanè, si Catholici interdum Opinionum austeritate ita terrentur, vt salutem propriam negligant: cur non etiam à fortiori terrebuntur Hæretici, Mahometani, Iudæi, &c. Ergò vt hos Deo

Theologi cõscientias Fidelium relaxauerint?

Quàm sint seueri Recentiores cũ Antiquis collati?

76 *An nimis conscientias stringant?*

Opiniones nimis seuera salutem animarum impediunt.

Perdunt Catholicos.

Faciuntq; ne infideles Deo & Ecclesia lucrentur.

Deo lucremur, benigniores illis sententias proponamus.

(G)

77 *Entis virtualis definitio maximè necessaria.*

ENs Virtuale est, *quod realiter non est quale dicitur, prudentum tamen æstimatione aut suppositione ita se habet, ac si quale diceretur esset.* Sic Adoptiuus est filius Virtualis, nam realiter loquendo non est Adoptantis filius, at verò ita se habet, ac si reuera filius esset. Hoc sensu opinio probabilis dicitur vera; quia ita omninò se habet, ac si esset vera: hoc sensu Imago non distinguitur à Prototypo: hoc eodem Procurator, est ipsa principalis Persona; hoc ipso Proconsul, Consul; Prorex, Rex; Proprinceps, Princeps; adeóque Vicarius Christi, Christus est.

(H)

78 *Quãta sanctiss. D. N. contra Hæresim Iansenianam præstiterit?*

QVanta Fabius Chisius (nunc Alexander VII.) à primo Hæresæos Iansenianæ abortu, vt illam in cunabulis extingueret, fecerit; quàm generosè heterodoxæ impotentiæ restiterit: quàm etiam multa ob Catholicæ Fidei defensionem sit passus, nos vidimus, vniuersi sciunt, nec pluribus debent exponi. Se insinuabat in scholam priùs Hæresis Ianseniana; videlicet sub istâ laruâ, *Ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis.* Vide *num.* 116. Fuit retusa. Detecta facie postea in lucem exiit: fuit damnata. Nunc iterum ad laruam recurrit, si forte incognita, reuerti queat. Vide *n.* 115. & 287. & 191.

Hæreseos Iansenianæ larua.

(I)

MVltæ & claræ Virtutes Fabium Chisium dignum Purpurâ, & summo Sacerdotio reddiderunt; at inter cæteras intensus literarum Amor. Nulla fuit scientia, quam non coluerit: nullus Vir doctus, quem non suspexerit, & honorauerit: & quia Amor non Virtus, sed vmbra Virtutis censetur, quamdiu intra limites speculationis coërcetur, Illustres homines amauit practicè, tantâ generositate, vt in libello de syderibus circa Iouem visis, FAVIVM dici voluerim, vt qui Vniuersis Viris magnis fauebat, à fauendo nomen traheret æternum. Non Librum, sed Notas scribo. Ergo lege Epistolas, quæ nostræ Hierarchiæ Ecclesiasticæ præfiguntur; Ego enim finem Notis his pono, & taceo, quia. 79

Fabij Ch sij. (nunc Alexandri VII. virtutes & prærogatiua. Quantũ illi literæ & viri literati debeant?

An Fabius, an Fauius dicendus fuerit?

Dilaudare nequit quem lingua, silentia possunt.

Et cur silentia potentiora sunt linguis? Gloriosas enim Alexandri septimi, sanctissimi D.N.

An proferri lingua possint eius heroïca laudes.

Quæ exprimitur verbis, laudes mens non capit omnes:
Exponi verbis, quæ nequit illa capit.

EPISTOLA

EPISTOLA II.

AD EVNDEM PRINCIPEM Eminentiſſimum.

Quid Probabilitas, quid Probabilioritas ſit? quomodo intrinſeca ſeu rationalis ab extrinſecâ ſeu authenticâ differat? Quæ ſit opinio tutior? &, An formido afficiat obiectum, an verò actum ipſum formalem Opinionis probabilis?

REM grauiſſimam & ſummè neceſſariam me tractaturum in primâ Epiſtolâ, quæ me totum, & meum ſtylum etiam, Veſtræ Eminentiæ conſecrat, pollicitus, nunc à Veritate ipſâ incipio; & poſteà, quid D. Fagnanus, & an bene dixerit, examinaturus, quid ſentire & dicere debuerit præmitto: nec enim ſciri poterit, in quo à cæteris differat, quid impugnet, niſi doctrina de Probabilitate, quæ quoad ſubſtantiam omnium eſt, præmittatur. Patere igitur (Vir Magne; pietate, doctrinâ, & dignitate Eminentiſſime) vt coram Te, ſicut coram ſuo Magiſtro diſcipulus, exponam quid in hac materiâ ex Tuis & aliorum Illuſtrium Doctorum Operibus didicerim; quid proprio Marte inuenerim; vt, ſi ſemel nobis genuinus Probabilitatis innoteſcat conceptus, Antagoniſtam meliùs intelligamus. Dabo igitur aliqua Protheoremata, ſine quibus, nec ſciri poterit, quid Iuniores affirmant, neque quid D. Fagnanus impugnare conatur. Sit ergo Reſolutio. 8

Cur præmittatur doctrina de Probabilitate?

Protheoremata ante diſſertationem neceſſaria.

E I. *opinio*

81 Theorema primum. *Quid probabilis opinio sit?*

I. *Opinio probabilis abstractim sumpta, dicitur, quæ pro se habet rationes fortes, nullam autem demonstratiuam: quæ contra se habet rationes fortes, nullam autem demonstratiuam.* Secunda pars oritur ex primâ. Hæc definitio est Rationali & Authenticæ, Intrinsecæ & Extrinsecæ communis, vt statim videbimus.

Propositionū diuisio.

Vt eam exactè intelligas adnotato, propositionem, quæ non est per se nota, suaderi ratione, vel nullâ, vel leui, vel graui vel demonstratiuâ Si nulla, ducitur *Dubia negatiuè*; si leui, *Dubia positiuè*: si graui, *Probabilis*: si demonstratiuâ, *Indubitata* & *Certa*.

An, & quomodo dubiū negatiuum à positiuo distinguatur?

Dubium negatiuum à positiuo distinguitur realiter; non autem moraliter aut virtualiter. Et demonstratur; quia, cùm rationes leues ad regimen conscientiæ non seruiant, ita se habent ac si essent nullæ, ac si in rerum naturâ non essent. Ergo dubium positiuum, vt vt realiter habeat rationes aliquas, moraliter loquendo habet nullas. [Caueat Lector, ne dubium cum probabilitate confundat: id enim frequentissimè facit D. Fagnanus: nam hæc ad conscientiæ securitatem sufficit, illud non sufficit.]

Theorema secundum. *Quid inuincibilis ignorantia sit: & an à peccato excuset?*

II. *Ignorantia inuincibilis, est naturalis & necessaria, quam hîc & nunc homo superare non potest.*

Nota illud *hîc & nunc.* Licet enim Petrus heri potuerit veritatem addiscere: & licèt fortè illam heri non addiscendo peccauerit; si nunc caret mediis, vt possit ad notitiam verita-
82 tis venire, nunc illam ignorat inuincibiliter. Hæc ignorantia vel inuitis Luthero, Caluino, Iansenio, &c. etiam in Iure Diuino à culpâ excusat. Oppositum à Iansenistis haurit D. Fagnanus, & tanquam firmum fundamentum substruit, vt suum Pseudolemma succollet. Vide *n.* 23. *&* 42.

Theorema tertium. *An inuincibilis ignorantia in omni probabili opinione inueniatur?*

III. *In omni Opinione probabili datur ignorantia inuincibilis.*

Patet: nam, si veritatem euidenter cognosco, non habeo opinionem probabilem: &, si veritatem voluntariò & vincibiliter ignoro, virtualiter scio (hoc est, ita me habeo ac si illam scirem) adeóque nec habeo opinionem probabilem.

IV. *Repugnat*

IV. *Repugnat alteram contradictionis partem esse dubiam, & alteram non esse dubiam.* Theorema quartum. *De dubio & probabilitate.*

Patet: quia, si dubito, *An Petrus sedeat*, etiam dubitabo, *An Petrus non sedeat.*

V. *Repugnat alteram contradictionis partem esse probabilem, & alteram non esse probabilem.* Theorema quintum. *Si altera est probabilis, altera etiã est probabilis.*

Patet: quia vbi adest euidentia, abest probabilitas: & ratio grauis illa dicitur, quæ habet solutionem, non quidem euidentem, sed grauem; quæ autem solui non potest, quamdiu solui non potest, est demonstratiua. Solutio grauis, nascitur à ratione graui sententiæ oppositæ. Ergo repugnat rationes huius sententiæ bene & plausibiliter solui, nisi oppinio opposita habeat rationem plausibilem & bonam, ex quâ illa bona & plausibilis solutio nascatur. Et hîc abesse logomachias desiderans, moneo Aristotelem malè Probabilitatem definiisse: illud enim quod placet pluribus, melioribus doctioribúsque, non est iam mere probabile, sed probabilius: nam vt sit probabile (nempe, authentica) sufficit, vt multis bonis & doctis placeat. Quamobrem, si quis loqui volet cum Aristotele, auferet diuisionem notissimam certissimámque, quâ Positiones in Magis, Æquè, & Minus probabiles diuidi solent. *Vnde bona nascatur solutio?*

VI. *Formido est quidam erroris timor: qui reperitur in omni opinione probabili.* Sed vbi, quæso, reperitur hic timor? in obiecto, an in actu? In obiecto communiter. Rem expono. 83 Theorema sextum. *Formido errãdi periculũ imbibit.*

Hæc propositio, *Materia existit existentiâ formæ.* Est probabilis: & Dominicanus illam defendit cum formidine obiectiuâ, non cum formali. *Sanè cum obiectiuâ*; quia ex vi rationum, quibus à suis Authoribus probatur, huius assertionis obiectum potest aliter se habere, & fortassis aliter de facto se habet. *Sanè sine formali.* Quia Dominicanus certò scit hanc esse D. Thomæ; certò scit se honestè procedere, & obseruare iuramentum, quando hanc tuetur; essétque periurus, & eliceret actum certò malum & inhonestum formaliter, si diceret, *Materia non existit existentiâ formæ.* *Materiam existere existentiâ formæ non est certũ: at est certum ita doceri à D. Thomâ, & plausibiliter posse defendi.*

Similiter hæc propositio, *Deipara sine maculâ concepta est* (quæ ad fidem & mores pertinet, vt demonstrabitur inferiùs) 84 *An Deipara sine labe*

concepta sit, incertũ est: at opinionem piam licitè posse defendi certum est. est probabilis. Illam pronuncio cum formidine; sed obiectiuâ, non formali. *Sanè cum obiectiuâ.* Quia rationes, quibus à Scoto probatur, non sunt demonstratiuæ: & ex vi illarum potest res ipsa aliter se habere, & forsitan aliter se habet. *Sanè sine formali*, quia pluries iuraui (in omni enim promotione Academicâ hoc laudabile iuramentum emittitur) piam sententiam me defensurum esse: & Ecclesia, vt vt concedat, quòd sentiam alterutrum, iubet tamen, vt vel taceam, vel loquar cum Doctore Subtili. Ergo dicendo, *Deiparam sine maculâ conceptam esse.* Non iam dubiè, non iam probabiliter, sed certò scio, me bene loqui, me honestè loqui, me stare iuramento proprio, & Ecclesiæ præcepto: & peccarem omninò, periurus & inobediens essem, & elicerem actum, non iam dubiè, non iam probabiliter, sed certò malum & inhonestum, si linguâ contrarium assererem.

Conclusio. Formido igitur, quæ in omni Probabilitate reperitur, cadit supra obiectum, & rem assertam; non autem supra formalem actum quo res asseritur.

Theorema septimum. *De Probabilioritate.* VII. *Probabilitas suos gradus habet. Vocantur* æquè probabiles Propositiones, *quæ habent rationes æquè graues*: Probabiliores, *quæ grauiores*: Minùs probabiles, *quæ minùs graues.*

83 *Quam sit difficile probabiliorẽ à minùs probabili distinguere?* Hæc distinctio maximâ ex parte ex affectu & præiudicio pendet: semper enim Dominicanus opinabitur Conclusiones Thomisticas Scotisticis probabiliores esse: & Franciscanus contrà. Vbi sunt omnia bona, non semper meliora percipimus; & vbi omnia sunt probabilia, non semper cognoscimus probabiliora. Rem exemplo clarissimo expono. Omnia Æneidis Virgilianæ carmina sunt bona. Esto sint aliqua aliis meliora. *An possint eloquẽtiora carmina à cæteris in Virgilio discerni?* Audebisne tu ad vnam classem redigere omnia æquè bona; ad aliam omnia minùs bona; ad aliam omnia meliora? Ego non auderem hanc spartam inire: &, vt video, faciliùs est ad classes carmina, quàm probabiles assertiones reducere. Plus *An nummi ponderosiores ab aliis.* inter se differunt monetæ aureæ, quæ vno grano præponderant, quàm opiniones plùs & minùs probabiles: at illas nemo nudis oculis, nemo mente distinguet, ergo neque has. Libellâ illarum differentiam percipimus: at mens humana vt probabilitates

babilitates examinet, nisi adiuuetur cœlitùs libellâ caret. Hinc ego hanc Resolutionem eruo: *Probabiliorum & minùs probabilium positionum distinctio, non semper est perceptibilis & cognoscibilis.* Ergo non præcipitur: quia Deus impossibilia non præcipit.

Nec est cur dicat aliquis mihi aliquando præcipi, vt probabiliorē ab improbabiliori distinguā: quia illud *aliquando* arbitrarium est, & asseritur sine demonstratione & cōmittitur circulus. Præterea, si aliquando id præcipitur, cur non semper? sed de hoc aliàs. Addo Assertionem hanc. *Earundem positionum distinctio realis est, non autem virtualis, aut moralis.* Et ex hac istam eruo. *Omnes propositiones probabiles sunt virtualiter æquè probabiles.* Hanc veritatem dilucido reducendo in memoriam exemplum de monetis aureis, quo fui vsus paulò antè. Pono nummum aureum tuæ regionis postulare, vt ponderet ducentis granis. Habes aliquos 200. granis appendentes: alios appendentes 201. aut etiam 202. Quid dicam? si te habēre pretiosiores & minùs pretiosos asseruero; mihi assentietur Physicus, contradicet Politicus: ille enim materiam & rem ipsam respiciet, hic verò æquiualentiam & virtualitatem: nummus enim sigillo publico percusus, si fortè vno aut altero grano sit ponderosior (*Italicè, trabucante*) in foro, in nundinis, non valet plùs quàm alij, ergo eodem modo de Probabilitatibus philosopheris. Vt vt inter illas gradus Dialectica Realis inueniat: omnes sunt æquè graues, æquè licitæ, Dialecticæ Moralis iudicio: nam Prudentiæ sigillo omnes insigniuntur, & æquè bonæ sunt, vt gloriam æternam emamus.

Omnes Opiniones probabiles, vt vt realiter sint inaequales, virtualiter, & æquè probabiles sunt.

Tantumdē valet vna ac altera, vt cœlum emas.

VIII. *Opinio tutior dicitur illa, quæ longiùs abest ab errore aut peccato.* Errorem à peccato distinguo: sæpe enim sine Theologico peccato erramus.

Theorema octauum. *De opinione tutiore.*

Porrò in materiâ Fidei, vbi sunt probabiles opiniones contrariæ, tutiùs (imò, vnicè tutum) est credere in communi, quod credit Ecclesia, quàm credere aliquid determinatè. Nam in tali casu neutrum teneor determinatè credere: alterutrum possum determinatè credere sine peccato. Et tamen errori me exponam, si assentiar sacræ Paginæ interpretationi probabiliori, nam hæc forsan est falsa: errori me exponam,

86 *Periculum errandi materialiter t inuoluit opinio probabilis in materiâ fidei.*

ſi aſſentiar minùs probabili : & tunc tantùm immunis ab errore fuero, cùm dixero. *Hæc ſacra Pagina verba, ſenſu, quo diuinitùs dicta, ſunt vera. Patres variant, Doctores inter ſe non conueniunt, Eccleſia, quod ſciam, nihil determinauit. Ergo illa credo eo ſenſu, quo à Spiritu ſancto ſunt dicta: eo, quo accipit, aut accipiet Eccleſia.* Sed hæc non errandi ſecuritas, eſt merè ſpeculatiua : non enim concernit mores; quia licitè potero me exponere materialiter errandi periculo, vt patet in Deiparæ conceptione. Attende. Sunt ſacræ Scripturæ teſtimonia de peccato originali plurima : ergo vel debent intelligi vniuerſaliter, ita vt nullus purus homo excipiatur; vel ita ſaltem, vt excipiatur Angelorum Regina. Si primum : docent materialiter contra Fidem Scotici : ſi ſecundum, Thomiſtæ : alterutrum ſenſero, errandi materialiter contra Fidem periculo manifeſto me expono. *An etiam peccandi periculo?* minimè. Primò : alterutrum ſentiendo, non me expono peccandi formaliter periculo : nam neutrum aſſenſum, quamdiu purè mentalis ſit eſſe peccatum mortale definierunt Pontifices, & clariſſimè S. D. Noſter in Bullâ vltimâ, oppoſitum aſſerentes condemnans. *An ſaltem me expono periculo peccandi materialiter?* Neque huic. Quoniam lex non obligat hos, quibus non eſt impoſita : & vbi nulla eſt lex, non datur vlla (formalis, aut materialis) præuaricatio. Lex autem (Diuina aut humana ea ſit) non imponitur his, quibus non eſt ſufficienter intimata & propoſita : nam, vel hæc intimatio ſeu propoſitio eſt de ratione eſſentiali legis obligatoriæ : vel ſaltem obligandi conditio *ſine quâ non*, vt conſtat ex ſubtilibus Theologorum ſententiis, qui de hoc variè philoſophantur. Porrò lex quæ inuincibiliter ignoratur, non eſt ſufficienter intimata aut propoſita, Et lex, de qua apud doctos hinc inde probabiliter diſputatur, An ſit? inuincibiliter & inſuperabiliter ignoratur. Ergo, ſi hunc ſoritam colligimus, de primo ad vltimum conſtabit, neutram ſententiam, quamdiu purè mentalis ſit vllâ eſſe lege (Diuinâ aut humanâ) interdictam : adeóque nec vlli opponi legi formaliter aut materialiter : ac per conſequens nec malitiâ infici materiali aut formali. Conſtabit etiam vtramque infici malitia hypotheticâ : quæ non eſt de facto, ſed eſſet,

Hoc periculum eſt purè ſpeculatiuū & ad mores non pertinet: poſſum enim in caſu alterutrum aſſerere ſine peccato.

Demonſtrāt id opiniones de cōceptione immaculatâ.

87 *Non ſe exponit periculo peccādi materialiter, qui ſequitur opinionem probabilem.*

Lex niſi ſufficienter intimetur non obligat.

Quid ſit malitia hypothetica?

esset, si contra illam aliquid definiret Ecclesia. Consulto egi de his sententiis quamdiu purè mentales sunt; quia, si minus piæ quis insistens, sensum suum verbis manifestaret, violaret Ecclesiæ præcepta, ac ideò non iam probabiliter sed certò & indubitatè peccaret.

Corollarium. I. *Ergo si opinio, quæ magis à peccato homines remouet*, tutior *dicenda: omnes probabiles sunt per se loquendo æquè tutæ.* Qui enim probabilem sequitur, nec peccandi formaliter, nec peccandi, materialiter exponit conscientiam periculo. 88 *Sunt per se æquè tutæ omnes opiniones probabiles.*

Corollarium II. *Ergo inter opiniones probabiles, quæ benigniores, per accidens tutiores sunt.* Patet; quia tametsi stricta & benigna, si exactè illas sequaris, sint per se loquendo æquè tutæ: at stando fragilitati humanæ facilius est, vt exactè sequaris benignam; ergo per accidens opinio benignior est tutior. Pono exemplum. Consulit me Franciscus, An debeat centum aureos restituere, quos tali vel tali ex contractu recepit. Pono dari duas opiniones probabiles, quarum altera illum obstringat, altera absoluat. Pono Franciscum esse auarum, & illis nummis ad alios vsus indigere. In tali ille casu, si adhæreat sententiæ alterutri, modo iuxta illam exactè operetur, tutus est, securus est. At, si duræ subscribat; debebit paupertati & auaritiæ potentissimis inimicis resistere, quibus succumbet fortè: si sequatur benignam, non solùm cessabit hæc pugna, sed etiam à suo proprio ingenio naturali fouebitur. Ergo, si sequatur benignam, à peccandi periculo est remotior. Ergo & per accidens tutior. Consultò illud, *per accidens*, semper repono: quia hæc maior securitas non nascitur ex Probabilitatis prædicatis intrinsecis; omnes enim opiniones probabiles, quoad se æquè tutæ & securæ sunt: sed nascitur ex circumstantiis adiacentibus & extrinsecis, quæ strictæ sententiæ exactam praxim, periculosiorem nobis reddunt. *An, & quæ sint tutiores per accidēs?*

Hæc omnia de Probabilitate vt sic; quæ sumitur à rationum momentis; dicta sunto: nunc aliquid de Probabilitatis communissimâ diuisione dicamus. *De Probabilitatis diuisione.*

IX. *Opinio probabilis ab extrinseco dicitur, quæ habet sufficientem authoritatem: & probabilior quæ maiorem habet* 89 Theorema nonum.

autho

authoritatem. Hîc tantiſper hæreamus : nam non omnes ſciunt, quid Probabilitas authentica ſit, ſecundum ſuum Metaphyſicum conceptum conſiderata.

An authoritas à ratione præciſa ſufficiat ad probabilitatem?

Porrò nuda Authorum nomina, etſi millena ſint, non faciunt opinionem probabilem. Demonſtratur : quoniam hæreſis Lutherana, verbi gratiâ, multos Theologos & libros habet, & tamen probabilis non eſt. Ratio eſt; quia contra certitudinem, non datur Probabilitas; & Lutheranam hæreſim eſſe falſam certum eſt; nam illam condemnauit Eccleſia: cui omnes (etiam Hæretici) tenentur obedire & acquieſcere.

90 *Reuelatio certa opponitur probabilitati. S. Brigitta circa conceptionē Virginis probabilem opinionem non habuit.*

Huic poſitioni, *Deipara originali labe caruit*, ego probabiliter aſſenſum præbeo: aliqui probabiliter aſſenſum negant: at S Brigitta, poſitâ reuelatione, huic eidem poſitioni probabiliter aſſentiri non potuit, etſi milleni Theologi aſſererent, aut milleni negarent; quia cognitâ in reuelatione veritate ceſſat omnis formido, venit Certitudo, quæ opponitur Probabilitati. Sic ſimiliter. Huic poſitioni, *ſi Spiritus-ſanctus non procederet à Verbo, non diſtingueretur ab illo.* Probabiliter Thomiſtæ adhærent : ab eâdem probabiliter diſſentiunt Scotiſtæ : & interim S. Thereſia, poſitâ reuelatione de ſublimi Trinitatis myſterio, certò cognouit veritatem, & neutrum potuit probabiliter dicere: & hoc, etſi milleni Dominicani hinc, milleni Franciſcani inde diſputent, & ſuam ſententiam ſinguli rationibus optimis ſuadeant.

Nec S.Thereſia circa myſterium Trinitatis.

Concluſio.

Stat igitur Probabilitatem extrinſecam, non conſiſtere formaliter in Authorum nominibus, etſi ſint plurima & grauia. Ergo vt Probabilitatem internam ab externâ debito modo quis diſcernat, lineas ſubſequentes conſideret.

91 *Opinio probabilis vt ſic.*

Opinio probabilis vt ſic: à rationali & authentica abſtracta debet ſic definiri: *Vbi non datur certitudo (hoc eſt, vbi ignorantiâ inuincibili, non autem vincibili, quæ virtualiter ſcientia eſt, obnubilamur) opinio, quæ ratione graui fulcitur, eſt probabilis.*

Sed vnde ſciam, vtrùm habeat illa rationem grauem? ſi illa ratio proponatur, & ego ſim bonus Theologus, habeámque ingenium & doctrinam ſufficientia, vt illam ponderem

&

& examinem, & in sinceritatis librâ esse grauem percipiam,
illa Opinio erit mihi probabilis ab intrinseco. Puta, si iudi-
cem tam graui illam fundamento fulciri, vt sine confusionis
formidine, sed potiùs cum quadam exspectatione gloriæ, ve-
lim eandem in publicâ disputatione contra quoscumque Viros
illustres propugnare & defendere: & etiam, si opposita defen-
datur, aduersus eam argumentari. [Intellige (Lector optime)
bene illa verba, *sine confusionis formidine*; magno enim con- 92
silio sunt posita, vt formidinem obiectiuam distinguere valeas
à formali: nam, si in gymnasio publico iubeat hanc tueri The-
sin. *Repugnat duas formas substantiales eandem numero infor-
mare materiam.* Habebo formidinem de obiecto; illud enim
potest aliter se habere, & fortassis aliter se habet: at non ha-
bebo formidinem de actu: scio enim certò hanc propositio-
nem esse Thomisticam: esse probabilissimam: honestè & li-
citè posse defendi: & licèt multas consequentias in Theologiâ
Morali parturiat, & plurima peccata consequenter excuset,
posse sine vllo Theologico peccato defendi: prætereà carebo
omni formidine, quam possint Argumentatores incutere:
scio enim certò me graui fundamento inniti, & me rationes
oppositas dissoluturum cum sapientum applausu.]

Probabilis ab intrinseco.

Vnde ab improbabili discerni possit?

De opinionis formidine: an in actũ, an in obiectum cadat?

Sed quid, si vel ratio, cui opinio insistit, non proponatur?
quid, si proponatur, & tamen ego Theologiæ rudis sim, nec
habeam ingenium sufficiens, vt illam expendam, eius mo-
menta discutiam, & rationem, quâ fundatur, examinem?
Tunc vnum ex his quatuor syllogismis formabo.

De authenticâ seu extrinsecâ probabilitate.

Primus. Impossibile est multos Viros pios & doctos post 93
examen & debitam considerationem, in vnam conspirare sen-
tentiam, quæ graui fundamento careat. In Opinionem A.
multi (nempe tales & tales, quos legi) conspirant. Illa igitur
graui fundamento non caret. Ergo est probabilis.

An multi pij & docti leui possint fundamento moueri.

Secundus. Impossibile est multos Viros pios & doctos post
examen & debitam considerationem, in vnam conspirare
sententiam, quæ graui fundamento careat. In Opinionem Æ.
multi conspirant (illos non legi, sed à Diana Viro pio docto,
& diligentissimo citantur.) Vel aliter (illos non legi, sed tamen
D. Franciscum Verde probum & eruditum Virum, & in Mo-

An asserenti Opinionem aliquam à multis viris doctis defendi credendum sit?

 rali

rali Theologiâ versatissimum consului, & respondit pro Opinione Æ. esse scriptores multos & graues.) Illa igitur graui fundamento non caret. Ergo est probabilis.

94 *Tertius.* Valde esset mirum, si Vir pius & doctus ita hallucinaretur, vt singularem viam iniret, & ab omnibus exesse vellet, sine fundamento grauissimo: & valde esset mirum, si Vir qui ita ingeniosus est, vt aliarum Opinionum rationes feliciter semper librauit, in hac vnicâ cui diligentiùs studuit, & quam accuratiùs discussit, cœcutiret, & rationem leuem esse fortem & grauem iudicaret. Sed Cardinalis Lugo habet Opinionem B. quæ singularis est. Ergo Opinio B. habet rationem grauem. Ergo est probabilis.

De opinione vnius Doctoris cōtra communem.

95 *Quartus.* In controuersiâ tali nullus scripserat. Primus, qui illam examinauit, fuit P. Acacius March de Velasco: Vir piissimus, doctissimus, & ingeniosissimus. Resoluit pro parte affirmatiuâ. Eum errauisse non facile crediturus sum: eum nos non voluisse decipere, vt indubitatum suppono. Ergo habuit rationes graues, vt pro affirmatiua resolueret. Ergo affirmatiua est probabilis.

De opinione vnius, si contra nullum sit?

Sanè in primo syllogismo, consultò ponuntur illa verba, post examen & debitam considerationem: contingit enim, vt sicut oues ouem, sic Authores aliquem Authorem sequantur, & tunc non dabunt de ratione ipsa testimonium, sed de solâ Antesignani authoritate. Hinc nascitur multas interdum Opiniones communes falsas esse; quod enim omnes supponūt, & nemo examinat, non habet authenticam probabilitatem: vt in Theologiâ Fundamentali clarissimè & vberrimè ostendi. Hac limitatione præmissâ singulas syllogismi illius consideremus positiones. Maior est moraliter certa: esset enim temeritas illam negare. Minor est certa realiter; constat enim ex sensu, me enim illos Authores legisse certus sum. *Ergo propositionem A. probabiliter suaderi ab intrinseco, ab extrinseco demonstratur moraliter*: vel aliter. *Est certum authenticè propositionem A. esse ab intrinseco & à ratione probabilem.* Modos singulos, & illorum appellationem accuratè considera.

An, & quādo periculosa sint opiniones communes?

Certitudo probabilitatis.

96 In secundo verò, Maior est eadem: ergo etiam est moraliter

liter certa. Minor est probabilis: esset enim mirum, non autem impossibile eam falsam, quia *quandóque bonus dormitat Homerus*. Et Theologi, vel doctissimi, homines sunt, & hominum errare est: & felicissimus, qui rarò errat. *Ergo assertionem Æ. probabiliter suaderi ab intrinseco, ab extrinseco probatur argumento, quod probabiliter est demonstratio*: vel aliter. *Est probabile authenticè, esse certum authenticè, quòd ab intrinseco sententia Æ. est probabilis.* Patet: quia assertio Æ est probabilis, quia habet rationes graues. Sed vnde illam grauibus rationibus fulciri scio? quia in illam conspirant multi pij & graues Authores, qui plenam fidem faciunt in sinceritatis tribunali. Sed vnde scio in illam assertionem Æ. multos Viros pios & doctos conspirasse? quia vel Diana scripsit, vel Verde dixit: & quia vnicus testis, etsi omni exceptione maior, non nisi semiplenam (probabilem) informationem facit, quod ille asserit, erit probabile. [Interim, si illa Minor (nempe assertionem Æ. à multis propugnari & defendi) à multis piis & doctis assereretur, *tunc esset authenticè certum, quòd esset authenticè certum, eam ab intrinseco probabili ratiocinio firmari.*]

Singuli homines errare possunt.

Probabilitas certitudinis probabilitatis.

Quanta sit vnius testis authoritas?

Certitudo certitudinis probabilitatis.

In tertio, *est authenticè & ab extrinseco probabile, quòd Opinio B. sit ab intrinseco probabilis.* Illam enim haberi ab Eminentissimo Lugone certum esse supponimus: hunc autem errare & sine graui fundamento cæteris aduersari mirum esset, at impossibile non esset. 97

Probabilitas probabilitatis.

In quarto dicam affirmatiuam illam Resolutionem, quamdiu alij scriptores non prodeunt, *esse certam moraliter, vel vt minimum probabiliorem.* Nam tametsi Acacius homo sit, & errare potuerit: quamdiu illi à nullo Doctore contradicitur, est in quietâ suæ Resolutionis possessione: & possessio præualet etiam cum probabiliore probatione collata.

Hinc patet Authores, qui pro aliquâ opinione citantur, non dare illi probabilitatem, sed testificari expresè aut implicitè illam esse probabilem. Vnde, vt alia via, sed quæ in idem recidet, vtriusque probabilitatis differentiam exponam, dicam: *Opinio probabilis ab intrinseco illa est, quam ratione*

Intrinseca & extrinseca probabilitatis differẽtia alio modo explicatur.

graui fulciri video: probabilis authenticè & ab extrinseco, quam tametsi ratione graui fulciri non videam, graui fulciri à Viro, aut Viris doctissimis audio. Hoc illi omnes testantur, qui probabilem esse asseuerant.

98 *Quid authentica probabilioritas sit? An humanitùs cognosci possit?*

Sed quid est authentica probabilioritas? Conceptus valde difficilis; &, si rem attentè considerem, sæpe impossibilis, vt cognoscatur. Porrò, quæ maiorem authoritatem habet, probabilior ab extrinseco est. Sic vniuersi: & bene. Sed quæ est illa, quæ maiorem habet authoritatem? *Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus*, poterunt hanc quæstionem dissoluere. Saltem ego me non posse sincerè ac absolutè fateor. Vt meæ ignorantiæ & insufficientiæ condoleas, pone quatuor authores esse doctos vt 8. & Petrum esse doctum vt centum. An non in casu, qui possibilis est, opinio vnius Petri aliorum quatuor opinionibus præponderaret? Huic insistens doctrinæ, *se malle cum Augustino errare, quàm cum aliis sapere*, dixit generosè Bernardus. Ergo, cui mortali concessum, vt hîc & nunc sciat, an quatuor Authores, qui pro affirmatiuâ citantur, non præponderent decem Authoribus, qui pro negatiua afferuntur.

An Authores sint numerandi, an ponderandi?

Si dicat Petrus debere supponi omnes Authores esse æquales. Iubebit Mercatori, vt nummos aureos, argenteos, æreos, simplices, duplos quadruplos, &c. numeret, & esse valoris æqualis supponat. An hic acquiescet? Iubebit Dialectico, vt rem omninò falsam tanquam fundamentum assumat: nam Augustinum, Bernardum, D. Thomam, Scotum, Ocha-mum, Molinam, Suarium, Vasquezium, &c. meliori ingenio fuisse præditos, quàm multos, qui hodie audacter scribillant, & vt labores suos in lucem emittant, chartam prodigunt, vt puto, manifestum est. Ergo non habemus media, vt sciamus semper, quænam Opinio authenticè probabilior sit. Qui ergo nobis sequi opinionem authenticè probabiliorem præciperet, rem omninò impossibilem, & vires mentis humanæ superantem iuberet. Sed quotus est, qui probabiliorem ab intrinseco, possit cognoscere? Si conscribendi essent, qui hoc possunt, dare nomen meum non auderem: sed neque

An omnes Doctores æqualis authoritatis sint?

Quàm sit difficilè internoscere probabiliores opiniones?

Diana

Diana meus, vt hodie ab illo audiui. Ergo darent, vt puto, Theologia superficie tenus tincti; qui quoniam ad pauca respiciunt, omnia possunt, quæ senes experti & exercitati non possunt.

Sed demus Petro, quod proponit; & ex hypothesi, aliàs falsâ (quia ex verâ non possumus) quid sit Probabilioritas authentica, exponamus.

Vnde probabilioritas veniat?

Opinio probabilior authenticè illa est, quæ maiorem habet authoritatem. Maiorem habet illa (videlicet stando hypothesi) quæ à pluribus propugnatur. Sed neque hic Authorum pluralitas probabilioritatem dat, sed esse tantummodò testificatur. Sic discurro.

Argumentū à simili.

Ille est suauior cibus, qui pluribus hominibus sanis & bene dispositis placet. Sed aperiamus oculos; rem optimè consideremus. Ille cibus, si discurramus à priori, non ideò est suauior, quia placet pluribus, sed ideo placet pluribus quia est suauior. Vnde placere non est formalis nec efficiens causa suauitatis sed effectus.

Illa suauior est musica, quæ pluribus auribus bene attemperatis est grata: nec tamen ab auribus illa suauitatem emendicat; sed præhabet, quàm aures percipiant. Possem per diuersas materias discurrere, & id ipsum multifariam probare. 100

Resolutio.

Ergo illa est melior ratio, quæ pluribus Viris doctis placet. At loquendo à priori, non dant docti rationi bonitatem, sed hanc ratio præhabet; & illam bonitatem & efficaciam maiorem & efficaciorem esse, à maiori Doctorum numero colligimus; non enim tam multis placeret, si non esset tam magna. Ergo Authorum pluralitas non dat probabilioritatem Opinioni: sed illam ab intrinseco probabiliorem esse consensu suo testificatur. Ergo probabilioritas authentica ad probabilioritatem intrinsecam reduci debet. Dicam igitur *illam esse sententiam authenticè probabiliorem, quam habere rationes fortiores inde colligo, quod pluribus Viris doctis placeat*. Et hæc dixisse de Probabilitate, & Probabilioritate sit satis.

Paucos esse, qui conceptũ extrinseca probabilitatis, & probabilioritatis percalleant.

Sic volui Princeps Eminentissime coram Magistro meo discurrere, cuius doctissimas & prudentissimas Resolutiones Orbis literarius honorat. Porrò sic debui: nam à multis legendæ sunt hæ lineæ; & rari, qui medullitùs calleant, essentialem authenticæ probabilitatis conceptum, & quomodo hic ab intrinsecæ probabilitatis conceptu distinguatur. Si profui aliquibus, habeo Deo gratias: & maneo, vt semper, &c.



EPISTOLA III.

AD QVEMDAM DOCTOREM Amicum.

Quàm sit vtilis doctrina de Probabilitate. Cur illam tanto odio Lutherani, Caluinistæ, & Ianseniani persequantur? An eam D. Fagnanus admittat, licèt illam posteà arietare conetur? An vniuersalißima sit? An contrahatur limiteturque voto, iuramento, & præcepto?

101 Vocifero. as. *plus sonat quam* Vociferor. *vt ostendo alibi. Hoc verbo vtitur Cicero* in Verrem.



OLLE *Thomam*, vociferabat aliquando Bucerus, *& Romanam Ecclesiam debellabo.* Et meritò, quia Doctor Angelicus in suis doctissimis Libris & Discipulis multiplicatus, Briareus est, qui numerosos Hæreticorum cuneos generosè prosternit: Atlas, qui Cœlum Ecclesiæ sustentat. *Tolle*, inquam Ego, *Propositionem hanc*, Ad securita-

tem

tem conscientiæ in Fidei & morum materiâ sufficit Opinio probabilis. *Et non Ecclesiam modò, sed & Rempublicam totam Christianam (Ecclesiasticam, & sæcularem) debellabis.* Hæc Lutherum, hæc Caluinum expugnat. Hæc Iansenianismo, antequam abortum faceret, fœlicissimè restitit: hæc adolescentem extinxit; hæc nunc illum, iterum sub pietatis laruâ redeuntem, irresistibili efficaciâ retundit. Hæc Patrum Testamenti Veteris, Apostolorum, Sanctorum, Ecclesiæ Doctorum: hæc plerorumque omnium Summorum Pontificum authoritatem & æstimationem propugnat. Hæc subditos sub Superiorum disciplinâ coërcet: hæc Tribunalia, & Leges, hæc Politicam praxim succollat. Hæc bella excusat, si causa sit iusta, & necessaria. Hæc tandem Medicinam, à Deo Orbi concessam, manu tenet. Hæc reddit pias conscientias, tranquillas; hæc demonstrat verè dixisse Christum Dominum, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Sed opposita? Quæ? *Ad securitatem conscientiæ in materiâ Fidei & morum non sufficit opinio probabilis.* Vel, vt D. Iacobus Boonem contra omnes S. Paginæ Interpretes sacris verbis abutens rhetoricatur, *Intrate per angustam portam* (& hoc nomine Iansenij doctrinam intelligit, quæ omnem probabilitatum vsum damnat: cui quoad hoc consonant libri DD. Merendæ, Fagnani) *quia lata porta & spatiosa via* (doctrina Theologorum & Virorum prudentum, qui ab initio Mundi hucusque vbique terrarum floruerunt) *ducit in perditionem.* Quod est dicere, *Via salutis æternæ tam est arcta, vt probabilium sententiarum benignitatem, & ortam ab eâ conscientiarum securitatem & tranquillitatem non admittat.* Suppone hanc & gloriabundus inferet Martinus Lutherus, Ioannes Caluinus, Philippus Melanchton, Theodorus Beza, & vniuersi Nouatores: suppone hanc, & inferent omnes huius Sectæ Discipuli. *Ergo omnia bella sunt iniusta,* quod Lutheranismus in suâ pueritiâ delirabat. *Ergo Ars Medica scelerata est. Ergo omnia sunt claudenda Tribunalia. Ergo omnis est subordinatio & Hierarchia (Ecclesiastica, & sæcularis) abolenda. Ergo execranda sunt plurima, quæ in Bullis statuerunt Pontifices. Ergo multæ ab illis concessæ dispensationes sunt inualidæ? adeóque mortaliter*

Quàm sit necessaria D. Thomæ schola?

Quam sit vtilis doctrina de probabilitate?

Quàm perniciosa sit opposita?

Vide n. 187.
Vide n. 21.
Vide n. 22.
Vide n. 23.
Vide n. 36. & 51.

illi concedendo peccarunt, & qui illis sunt vsi peccarunt & peccant quotquot illas tuentur. Et ad fundamenta prima Orthodoxæ Religionis veniendo, non arietabunt modò, sed Ecclesiæ Infallibilitatem euertent: dicent enim, *Ergo omnes quinque Propositiones, quas Innocentius X. condemnauit, vera sunt. Ergo errant Summi Pontifices, etiam cùm loquuntur ex cathedrâ, & Fide Diuinâ tenendas Decisiones Catholica Ecclesia proponunt.* Et quis (amice Lector) Christi sanguine redemptus, aquâ Diuinâ lotus, inter Catholicos nutritus, vitam suam pro Religione non exponere modò, sed & ponere paratus sit, & ista toleret?

Stante doctrinâ de probabilitate corruit Lutherus, Caluinus & Iansenius.

102 Macti igitur animo (Lectores optimi) estote ab antiquâ Theologiâ: nouámque hallucinationem veriùs quàm opinationem vnius aut alterius ne curate. Scio DD. Merendam & Fagnanum, & alios, siqui sunt, qui eis assentiantur, ignorantiâ, non malitiâ peccare; placuit enim huius noui Dogmatis externa cortex, & caruerunt ingenij viuacitate & perspicacitate, vt venenum, quod erat in nucleo, penetrarent. Quod si rimati fuissent, certò scio, illos non fuisse illam doctrinam tradituri. Et pro eisdem spondeo (tam enim sunt meo iudicio sinceri) quòd abiuraturi sunt præconceptum errorem, vbi primùm Veritas clarè & manifestè proponatur.

Vnde ortus sit DD. Merendæ & Fagnani error?

103 Sed cur Ego illos, si non defendendos, saltem excusandos assumo, à quibus omnes Theologi tam inurbanè, aut etiam crudeliter vapulant? Vt huic instantiæ satisfaciam, duo succurrunt: alterum Logicum, alterum Ethicum. Sanè experientia docet Argumentatores, tunc primùm euomere iniurias, cùm syllogismis carent. Ergo iniuriæ, quò magis atroces, minùs nobis officiunt; quicumque enim vel leuiter Dialecticâ tinctus, vbi scommatum & iniuriarum nimbum exonerari percipit, dicet, *Si syllogismis suis DD. Merenda & Fagnanus confiderent, non illos tempestate iniuriarum armarent.* Nos igitur, qui certò scimus rationes, quas proponimus, à nullo mortali solui posse, cur non sedatissimo & vrbanissimo, animo & calamo, argumentabimur? Transeo ad Ethicam. Gaudebant Apostoli, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Cur ergo verè Catholicus linguam aut calamum

An vrbanè tractandi sint, qui inurbanè vniuersos tractarunt? Cur Argumentatores aliquando ad iniurias recurrant?

calamum audacem timeat, qui gladium non timet? Ego cæteros Orthodoxos iudico meliores, aut etiam generosiores me; & tamen Ego, licèt suauissimus, vbi concipio agi de Catholicà Fide, nec spe nec metu ducor aut seducor, non enim in mundo est potestas, aut personæ reuerentia, aut vtilitatis spes, aut damni timor; qui me cogere possit, non quidem vt sinistrè sentiam aut loquar, sed vt taceam. Hispanus sum, & Hispani æquo animo ad vtrumque parati, pro Deo & aris occidunt vel occidunt. Si ad gloriam Dei conducat gladium stringere (quod Louanij anno 1635. & Pragæ anno 1648. fecimus) pugnare vbicumque parati sunt: si gladium subire; exponunt intrepidè collum, quod myriades Martyrum generosè fecerunt, & ego tam tranquillo animo facerem, quàm hanc lineam scribo. Ergo Theologi, supra regionem in quâ pluitur & ningitur, Dei gratiâ constituti, tangi non possumus iniuriarum procellis: &, si fortè etiam sursum soluantur fulmina, non curamus. *Mihi vindictam*, inquit Dominus, *& Ego retribuam.* Et hoc est verum, non diuinitùs modò, sed & humanitùs. Manet Patientiam in Cœlo sua corona. Sed neque mites corde Deus in Mundo negliget. Et hoc euidenter ostendo. D. Antonius Merenda syllogismorum, aut etiam Dialecticæ impos, Theologiam opinatione suâ; Theologos iniuriis inuasit. Potuissent isti pœnâ illum condemnare talionis; at maluerunt tacere, & Deo relinquere, vt se contra inuasorem propugnaret. Et Deus per suum Vicarium satisfecit inuasis, librum illum, vtpote indignum, qui legatur, interdicendo. Anne hoc parum? Discutiant scholastici, An detur potentia ad præteritum? Ego in realibus, sicut de futuro, sic etiam de præterito philosophor: & existimo futuram esse scholam *labij vnius & sermonum eorundem*, si obtineat legitimus Æternitatis conceptus. Cæterùm, quidquid de Realibus sit, in Moralibus negari illa non potest. Scripserit Merenda suum librum: potest adhuc fieri, ne scripserit. Quomodo? si non legatur; inquit enim Martialis verissimè,

Non scribit, cuius carmina nemo legit.

Vnde conceptum ebibo, & te hoc Disticho expedio.

Qui à veritate stat, neminem timet.

Gentis Hispanæ generositas.

Vindicta est relinquenda Deo.

De potentià ad præteritum.

An detur realiter? an virtualiter?

An Merenda scripserit in Theologos?

Merendam scripsisse putas, mi Lector? oberras:
Non scripsit, cuius scommata nemo legit.

Et hinc non iam rationis paritas, sed verè identitas, nos docet, quid de D. Fagnano sperare possimus.

104 POnere volebam calamum; sed quia fortè maiori luce indiges, vt inoffenso pede ingredi possis in Scholam; præsentémque disputationem audire; addam sequentes lineas, vt tuis oculis videas, necnon manibus palpes, quàm crassos errores Viri in vnâ Facultate magni, si in aliâ, quam ignorant, audescant, frequentissimè incurrant. Attende.

Assertio I. *Certitudo honestatis est duplex: formalis videlicet & obiectiua. In omni opinione probabili reperitur certitudo honestatis formalis, & incertitudo honestatis materialis seu obiectiua.* Honestates has duas D. Fagnanus confundit: quia, vt opinor, hanc distinctionem primæ tonsuræ Theologis notam, apud Canonistas non audiuit. Sanè honestas formalis est actûs, & obiectiua obiecti. Dicit Petrus. *Deipara sine labe est concepta.* In hac propositione duo consideranda sunt: actus ipse & obiectum Hoc est probabiliter verum: probabiliter consonum sacræ Scripturæ, adeóque probabiliter honestum: nam, si per impossibile esset sacræ Paginæ dissonum, nec verum, nec bonum, nec honestum esset. At ille (actus) non est probabiliter honestus, &c. sed certò honestus, certò licitus, certò bonus: quamobrem à sanctiss. D. N. Alexandro VII. non solùm, qui illum esse malum, sed qui dubitant, an sit bonus, damnantur. Vide *num.* 51.

Honestatem formalem materialéq; confundit D. Fagnan.

105 Assertio II. *Malitia est duplex: absoluta videlicet & hypothetica. Vocamus absolutam illam, quæ de facto actui inest; hypotheticam, quæ de facto non inest, sed inesset, si aliqua poneretur conditio.* Hanc etiam distinctionem ignorat D. Fagnanus, & ideò has duas malitias, toto cœlo differentes, confundit. Fertur lex à legitimo superiore, ne quis deferat gladium. [Pono esse necessariam & ex nullo capite inualidam.] Manet in Cancellariâ: non publicatur. Ausonius bonâ fide gladio accinctus in forum prodit. Anne hæc actio est mala? Ajo hanc Ausonij actionem, nec formaliter, nec materialiter esse legi contrariam: adeóque nec formaliter, nec materialiter

Honestatem quæ est, & quæ esset, absolutam & hypotheticam D. Fagnanus confundit.

ter

ter malam: non enim habet malitiam absolutam, sed hypotheticam: nam in illo Ausonij actu malitia de facto non est, esset tamen, si lex esset sufficienter promulgata, ita vt ab Ausonio cognosceretur. Ratio est: quia Legislator non vult: imò nec potest; suâ lege obstringere illos, qui eam inuincibiliter nesciant. Hinc ad Decalogum & Ius Diuinum transeo. Est Decalogus lex liberè lata, saltem quoad totam secundam Tabulam, vt cum Scotistis existimo. Vt vt sit necessariò lata, est liberè intimata in vtrâque sententiâ, vt optimè suadent Salmanticenses, *tom.4.tract.13.disp.7.dub.1.num.2.pag.149.* Nulla lex illum, qui eam inuincibiliter ignorat, obligat: & nulla illi, qui eam inuincibiliter ignorat, legitimè & sufficienter intimata est. Pono exemplum. Ioannes de la Val *in Compendio Bonacinæ, verb. Matrimonium, num.* 124. sic inquit: *Probabile est non esse denegandum debitum coniugi petenti solùm cum peccato veniali.* Et citat Bonacinam *tom.1.pag.* 305. *num.*10.*&* 11. Ponamus hanc conclusionem esse falsam. Ergo stando hypothesi erit Matrimonialis lex, *Ne debitum reddito coniugi petenti cum peccato veniali.* Sed quibus hæc lex posita? illísne, qui illam inuincibiliter ignorant? minimè, quia illis non est sufficienter proposita. Ergo, nec illis, qui oppositum probabiliter putant; nam nec his est sufficienter proposita, inuincibiliter enim ignorant veritatem. Pergamus. Arsinda Theodoro suo marito reddidit debitum, aut menstrui tempore; hoc enim exemplo vtitur eximius & ingeniosus Doctor Bonacinæ Abbreuiator *vbi supra*: aut peccanti venialiter quoad modum (si in hoc veniale potest dari.) Peccauit illa? Formaliter non peccauit: quia actum formaliter honestum elicuit, nam sequebatur opinionem probabilem, quam falsam esse ignorabat inuincibiliter; quam, aut rationum pondere pressa, aut saltem Theologorum authoritate ductâ, prudenter veram iudicabat. An peccauit illa materialiter? Nec hoc: violauit enim legem, quæ sibi, vtpote nondum sufficienter proposita, nondum erat imposita. Superest igitur, vt illa debiti redditio in hoc casu habeat malitiam hypotheticam: non quidem malitiam *quæ sit*, nulla enim est formaliter, aut materialiter; sed *quæ esset*, si illa lex fuisset sufficienter hominibus intimata.

An Decalogus sit liberè latus? An saltem liberè intimata.

An reddere debitum petenti cum veniali sit licitum?

Quãdo illud cum veniali petat?

An possit menstruata cognosci?

Quibus impositus Decalogus sit? Quosnam obliget.

Hypothetica malitia explicatur.

106 Sanè in omni Opinione probabili datur ignorantia inuincibilis (& hæc vnica linea toti libro D. Merendæ, toti libro D. Fagnani respondet: ipsi enim frequenter eò argumentum propellunt, vt dicant debere nos veritatem diligentiùs inquirere) qui enim veritatem scit, opinionem non habet: & qui scire potest, habet ignorantiam crassam & superabilem, ac proptereà virtualiter scit (hoc est, prudentum iudicio ita se habet, ac si de facto sciret) & ideò excusari non potest: ex hac etiam doctrinâ toti libro D. Prosperi Fagnani satisfit: omnia enim, quæ dicit, possunt ad hanc formam reduci.

Ignorantia crassa & superabilis nō excusat.

Agens morale, vt licitè operetur, debet habere certitudinem de honestate & bonitate sui actûs.

Tota D. Fagnani doctrina ad vnum syllogismum reducitur.

At ille qui iuxta probabilem operatur sententiam, de honestate & bonitate sui actûs non habet certitudinem, sed solummodò probabilitatem.

Ergo, qui iuxta probabilem operatur sententiam, non operatur licitè.

Ergo, peccat, qui in materiâ conscientiâ sequitur opinionem probabilem.

Respōdetur.

Et constat ex dictis responsio. Sic inquam. *Agens Morale, vt licitè operetur, debet habere certitudinem de sui actûs honestate & bonitate: formali?* concedo. *De materiali* nego. Nam, cùm mihi superior præcipit aliquid, quod est probabiliter bonum, certò scio meum actum formalem, quo obedio, honestum esse: & tamen vtrùm materia & obiectum, circa quæ ille actus versatur, sint bona, incertum est.

Qui obēdit in materiâ probabili, elicit actū non probabiliter, sed certò bonū.

At ille, qui iuxta probabilem operatur sententiam, non habet certitudinem, sed probabilitatem solummodò de sui actûs honestate & bonitate formali. Nego. *De obiectinâ & materiali,* transeat. Consultò dixi *transeat*, nam iuxta Assertionem II. in plerisque omnibus probabilitatibus abest etiam malitia materialis: vnde, etsi opinio, quam sequor, esset falsa, meus actus esset bonus formaliter & materialiter.

Sæpe in actu probabili abest obiectiua malitia.

Ergo, &c. nego primam illam consequentiam rotundè.

Ergo, &c. nego secundam etiam: Nam ex præmissis negatis, non autem concessis deductæ.

INTE

INTERIM, vt Lector sincerus, & eruditus videat, quàm verè dicat homo Deo, *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*. Ostendam clarè huius Veritatis lumen D. Fagnano alluxisse: at illum non voluisse aut potuisse illo vti, non quidem defectu voluntatis, sed Logicæ. 107

D. Fagnanus sic inquit. *Siquis habeat Fidem implicitam eò quòd credat quidquid Ecclesia credit, sed falsò opinetur ratione naturali* (graui) *motus. Patrem* (etiam considerato Filio quà Deo) *esse maiorem, seu* (non iam ratione, aut origine; sed realiter esse) *priorem Filio: vel tres personas esse tres res* (absolutas) *à se inuicem* (condistinctas: hoc est, adæquatè) *distinctas, non est hæreticus, nec peccat; dummodò errorem suum* (contra Ecclesiæ determinationem) *non defendat: & hoc ipsum credat, quia credit* (existimat) *Ecclesiam sic credere*. Vide *num.* 28. 108

D. Fagnani doctrina.

Ergo, etsi per impossibile esset de facto vera Angelici Doctoris & Thomistarum opinio asserens *Summum Pontificem in voto solemni dispensare non posse*, sic inquam. *Si quis Religiosus voto solemni obstrictus habeat Fidem implicitam, eò quòd credat quidquid Ecclesia credit, sed tamen falsò opinetur ratione naturali graui motus, quòd Pontifex potest in voto solemni dispensare: & stante hoc dictamine dispensationem postulet, & impetratâ vtatur, non peccat, dummodò errorem suum contra Ecclesiæ definitionem, siquando aliquando de hoc prodeat, non defendat: sed hoc ipsum credat, quia existimat Ecclesiam credere* (putare) *hanc dispensationem licitè posse concedi*. Sic in Decalogo & Iure Diuino discurro.

Parallelū I.

Ad Pontificium transeo. Supponamus esse reuerà falsam sententiam, quæ docet, *Die ieiunij octo in collatione vncias posse sumi*. Et adhuc ingrediendo viam, quam mihi D. Fagnanus aperuit, sic inquam, *Si quis habeat voluntatem sinceram* (*implicitam explicitámve*) *quod velit facere, quidquid iubet Ecclesia, sed tamen falsò opinetur ratione graui motus, quòd Ecclesia seueriorem collationem in diebus ieiunij non præcipiat, & stante hoc dictamine octo vncias in collatione sumat, non peccat, dummodò suum errorem contra Ecclesiæ* Declarationem *non defendat, sed hoc ipsum sentiat, quia existimat sic Ecclesiam sentire.*

Parallel. II.

Omnia hæc [quæ dixit D. Fagnanus, & quæ nos ex eius verbis intulimus] complexus est P. Angelus de Clauasio *in Summâ. verb. Opinio, sub finem.* Vbi probabilitatem excusare in materiâ Fidei supponit, & inde infert doctissimè in materiâ morum etiam excusaturam. Eius verba subscribo. *Si Ioachimus non fuit hæreticus, licet tenuerit falsum contra fidem, vt patet ex* cap. Damnamus, de summ. Trinit. & Fide Cath. *quia ab Ecclesiâ talis Articulus nondum erat damnatus; multò magis excusatur quis sequendo opiniones Doctorum, quamdiu talis Opinio ab Ecclesiâ non est reprobata, cum tali voluntate, quòd si non crederet veram, non ei adhæreret.* Scripsit Angelus ante annos centum, & videtur à nobis exscribere: tanta est Veritatis vis, vt in diuersis temporibus, prouinciisque candem Decisionem inspiret.

An, & cur Abbas Ioachimus non fuerit hæreticus.

An à Fide ad mores valeat argumentatio?

109 Ecce contra D.Fagnanum ipsummet D. Fagnanum assumpsi, & duo Parallela deduxi, quæ totam destruunt doctrinam D.Fagnani. Attende.

Sese destruit D. Fagnani doctrina.

Iubet Deus credere, iubet velle, iubet operari. Ergo, si in casu, quo homo euidenter non scit, quid Deus iubet credi, sed laborat ignorantiâ inuincibili, ratio grauis sufficit, vt sine peccato oppositum credat, quàm Deus iubet, modò paratus sit aliter credere, si aliam esse Fidem Diuinam se doceat Ecclesia.

Potest homo licitè non obedire præcepto credendi. Sed quando?

Etiam in casu, quo homo inuincibiliter ignoret, quid Deus amari iubeat, ratio grauis sufficiet, vt ipse sine peccato oppositum amet, quàm Deus præcipit, modo paratus sit aliter velle, si illum Ecclesia instituat, & aliam esse Diuinam voluntatem ostendat.

An & non obedire præcepto amandi?

Etiam in casu, quo homo insuperabiliter ignoret, quid Deus fieri præcipiat, ratio grauis sufficiet, vt ipse sine peccato oppositum faciat, quàm Deus iubet, modò paratus sit aliter facere, si aliam esse voluntatem Diuinam ab Ecclesiâ didicerit.

An & præcepto operandi?

Ergo etiam à fortiori, si ratio grauis in præceptis Diuinis de credendo, amando, & operando habet locum, habebit in præceptis Humanis.

An & præceptis Ecclesiæ?

110 Stat ergo ex ipsomet D. Fagnano stabilita communis totius Orbis Conclusio, videlicet, *In Fidei & morum materiâ ad*

Conclusio.

ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis : quæ ex naturá suâ & ab intrinseco est vniuersalis.

Sequendi quācumque probabilem opinionem libertas, Voto, Iuramēto, & præcepto contrahitur.

ATtende Lector. Ex naturâ suâ & ab intrinseco esse vniuersalem præcedentem doctrinam asseruimus, nam potest solétque per accidens & ab extrinseco contrahi & limitari; videlicet, Voto, Iuramento, & Præcepto.

Voto : vt si quis, etiam ab Ecclesiæ præcepto præscindendo, Deo voueat se immaculatam Virginis Conceptionem propugnaturum, non poterit propugnare opinionem contrariam, licèt hanc iudicet probabiliorem.

Iuramento : vt si quis D. Thomæ doctrinam se defensurum iuret, tenebitur stare iuramento, etsi hîc & nunc Scoti sententia v. gr. probabilior videatur.

De Charitatis præcepto.

An & quādo sacramēta administrari debiāt in materiâ minus probabili?

Præcepto cùm Diuino; tum Humano. Et huc spectat Charitatis præceptum. Vnde, cùm debeam fauere proximo in extremo periculo constituto quantum possim, & melius sit infantem habere minùs probabilem baptismum, quàm nullum; in casu, quo non habeam materiam certam, nec probabiliorem, debebo vti materia etiam minùs probabili.

An, & cur subditus teneatur superiori obedire in materiâ probabili? Vide interim n. 239.

Similiter quando superior intra limites suæ iurisdictionis præcipit, quod probabile est, tenetur subditus obedire; nam qui obedientiam promisit; omnia, quæ sunt necessaria, vt gubernetur, compromisit. Et nisi subditus cedat iure sequendi opinionem, quam velit, quis Superior poterit gubernare? Vix lex vlla vniuersalis & communis subsisteret; semper aut ferè subditus posset dicere, etiam oppositum videri probabile; aut etiam, si velit, probabilius : & tota turbaretur Ecclesia, tota Respublica, omnes Communitates. Demonstrat hoc Deiparæ illibata conceptio. Iubet Pontifex, ne cum peccato esse conceptam dicas: pone te sentire sententiam duram esse probabilem; pone te sentire esse probabiliorem; an ne poteris non obedire? Sanè Virginem esse conceptam aut non conceptam cum peccato probabile est: at te non debere obedire Pontifici in materia probabili, improbabile est: te debere obedire, certum est. Ergo sicut de hoc præcepto, sic etiam de aliis omnibus, quæ probabilem materiam respiciunt debebimus philosophari.

An Dominicanus, qui S. Thomæ opinionē de Conceptione iudicaret probabilem aut probabiliorē posset non obedire summo Pontifici?

Hæc

In iure aliqui Textus preceptiui & alij consultiui sũt.

Hæc vltima doctrina totum id, quod fusissimè conglomerant DD. Merenda & Fagnanus euertit: quoniam illi Textus, quos ex Conciliis & Iure Pontificio deducunt, vel consultiui sunt, vel præceptiui, (plurimos enim esse purè consultiuos, in confesso est.) Alterutrum dicant, nihil probant. Ergo in congerendis Textibus operam & oleum perdiderunt. Probo minorem: nam, si dicantur consultiui, non obligant: in hoc enim Consilia à Præceptis distinguuntur, quòd illa nullam inducant obligationem, hæc inducant. Et quid, si dicantur præcepta? PRIMÒ debebunt illi demonstrare id, quod dicunt, & posteà nîl omninò concludent. Et quomodo quæso demonstrabunt esse præcepta rigida, quando consuetudo est securissima legum interpres, & hæc consilia esse definit; cuius decreto omnes Canonistæ, & Legistæ subscribunt? Sed demus esse vera præcepta. Debebunt igitur SECVNDÒ, hypothesi stando fateri, *ex naturâ rei ad securitatem conscientiæ sufficere opinionem probabilem; non autem sufficere per accidens, quia hæc sequendi probabilem sententiam libertas præcepto Pontificio contrahitur.* Vnde debebunt TERTIÒ inferre Ethnicos, Iudæos, Mahometanos (&, vt vno verbo omnes comprehendam, Achristianos) frui libertate, quam impugnant. Debebunt consequenter QVARTÒ, Christianorum prouincias, si quæ sunt, in quibus Ius Canonicum receptum non est, eâdem libertate frui. Debebunt QVINTÒ (& hîc omnia, quæ dicunt, vniuersim difflantur) in prouinciis, in quibus Textus illi non vt præceptiui, sed vt consultiui recepti sunt, etiam libertate fruisci: & quidem sæpe eundem textum in vno loco haberi vt consultiuum, in alio verò vt præceptiuum, certum est. Cùm igitur illi, qui citantur, nullibi recepti sint, vt præceptiui: nullibi obligant. Debebunt SEXTÒ sæculares ab Ecclesiasticis distinguere: non enim Laïci iuxta Ius Pontificium, sed iuxta Ciuiles leges in suis Tribunalibus iudicant: ergo de facto in Politicis Tribunalibus nihil de istis Textibus scitur: ergo in illis non sunt recepti.

Consilia in conscientia nõ obligant.

Consuetudo & praxis est optima legũ interpres.

Quid si illi Textus sint preceptiui? Notetur bene hæc Resolutio.

An Infideles vti possint libertate eligẽdi quãcumque opinionem probabilem?

An Christiani, qui Ius Canonicum non receperunt?

Contingit, vt eadem verba in vna regione vt preceptiua, in alia vt consultiua admittantur.

An laïci teneantur D. Fagnani doctrinâ?

Dicent, leges Ciuiles posse à sanctis Canonibus corrigi: & omnes Cæsareas, Regiásque esse à Canonibus, qui ab illis citantur correctas.

Respondeo

Respondeo leges laicorum Principum, si contra Diuinam sint, non solùm posse à sanctis Canonibus corrigi, sed debere. Sed nos sumus in aliâ hypothesi diuersâ modò, nam libertatem illam sequendi opinionem probabilem, non esse contra Decalogum, sed contra Canones dicebant: Ergo à Canonibus non corriguntur. *An Canones possint corrigere Ciuiles leges?*

Sed instabunt, illos eosdem Textus, quos producunt, non esse consultiuos, nec præceptiuos, sed definitiuos: nam dari in Conciliis & Iuribus plurimos purè definitiuos, certum est. Si demonstrent, do manus: interim sic me facillimo negotio expedio. Hæc Quæstio ad Ius Diuinum Sacramentale primariò pertinere non potest, est enim multò vniuersalior: ergo ad Diuinum naturale pertinet, si pertinet. At in toto Decalogo non inuenitur DD. Merendæ & Fagnani propositio: sed neque illa ex Decalogo per consequentiam necessariam infertur. Ergo illa ad Ius Diuinum naturale non pertinet. Minor, quoad primam partem certa est; nam inter Decalogi leges non reperitur hæc, *Probabilem sententiam ne sequuntor.* quoad secundam etiam est æquè certa: nulla enim Logica, aut ex illis decem, aut ex earum aliquibus conformabit præmissas quæ in formâ & modo legitimis inferant hanc, *Probabilem sententiam ne sequuntor.* *An Textus illi sint definitiui?* *Demonstratur negatiua sententia.* *Quales esse debent leges definitiuæ.*

Stat igitur Textus illos, nec definitiuos, nec præceptiuos esse, sed consultiuos. Hæc sunt Eximie Domine, &c.

His præmissis (quæ, vberiori calamo deduci potuerunt, & à nobis vberrimo alibi deducuntur) perge vlteriùs, Amice Lector, & Epistolam sequentem perpende. Multa paucis complectitur, & ideò, vt legatur attentè, necessariò requirit.



EPISTOLA IV.

AD EVNDEM EMINENTISSIMVM Principem.

Materia de Probabilitate non potest tractari à Iuristis. Doctrina communis est vera & certa: opposita nisi contrahatur est hæretica, contradictionem inuoluit: tollit tribunalia: & omnem subordinationem: incriminatur omnia bella: condemnat omnes Medicos; destruit D. Fagnani doctrinam: turbat omnes Christianos: accusat sceleris plurimas Sanctissimorum & prudentissimorum Pontificum dispensationes: opponitur Bullis Apostolicis de conceptione immaculatâ.

Non sunt falsa, quæ noua. Doctrina communis est mundo coætanea. Habet etiam locum in Cœlo. Est valde vtilis animarum solamini.

Theologi à centum annis nil aliud faciunt, quàm conscientias stringere & stringere: an debeant sisti, ne strictiùs eas vincire pergant? Eorum sententiæ cum antiquorum placitis conferuntur, vt discrimen appareat.

111 PETIERVNT ante hebdomades aliquot, qui præcipere possunt, vt quæ de D. Fagnani doctrinâ occurrebant,

rebant, calamo exprimerem. Omisi, quia Virum eruditum & pium amo & veneror: & contra Amicos non libenter scribo. Addidit remoram, quòd mea scriptio videbatur superflua, cùm, quia Antonij Merendâ libro à Sede Apostolica prohibito, non est cur de D. Fagnani Opinatione disputetur: nam eadem est vtriusque doctrina, & æquè vtriusque in Theologos contumeliosus calamus: tum, quia iam iam milleni in eius Pseudolemmata mouentur styli, illáque speculatiuè improbabilia, & practicè intolerabilia esse demonstrant: & nunc [N. B.] præcipuè, quando S. D. N. in Bullâ ad instantiam D. Plasentini nuper editâ, oppositam toti Ecclesiæ indicendo, D. Fagnani doctrinam manifestè condemnat. Interim, quia nudius-tertiùs monitus, obedire desidero, quæ olim contra Iansenium vberiùs scripsi, ad paucas lineas reduco, & apud Eminentiam Vestram animum meum expando. Sanè contra D. Fagnanum, quem necessario debeo cum Iansenio componere, priuatim aliàs scholastico stylo disputabo; nam, si illi licuit à Caramuele, & toto Orbe Literario dissentire, mihi erit licitum ab vnico dissentire Fagnano, saluâ semper vrbanitate & reuerentiâ, quam Viro optimo debeo, & ideò has ipsas scribo literas Eminentissimæ Celsitudini Vestræ tanquam meo singularissimo Domino, non autem tanquam sanctissimi D.N. Alexandri VII. in Tribunali Supremæ Inquisitionis Administro; neminem enim, aut accuso, aut denuncio, sed iussus, meam sententiam, quam totus Orbis terrarum veram iudicat, breuiter expono & dilucido. Nec hinc videri volo Libros illos in Decretales, quos D. Fagnanus edidit, vituperare; sunt enim doctissimo calamo scripti, & in praxi maximè necessarij, & ad D. Fagnani honorem meis iniunxi Vicariis, vt iuxta illos & gubernent & iudicent: At omninò desidero, vt expunctâ illâ minùs necessariâ quæstione, *de opinione probabili*, aut eâdem ad Fidei Orthodoxæ & Rationis Theologicæ Limam rescriptâ, ille primus Tomus recudatur, ne propter vnicam resolutionem (in quâ hallucinatur Vir magnus; quam negaret omninò, si Ecthefes ex illâ abortum necessariò facientes, præuideret) centenæ aliæ, decisæ solidissimè, careant applausu, quem merentur. [Moneo tamen videri correctio-

An liceat in amicos scribere?

An S. D. N. doctrinam D. Fagnani condemnauerit?

Quanto habendus honore sit D. Fagnanus:

D. Fagnanū Caramuel nō accusat, sed tantùm impugnat. Comment. in Decretales D. Fagnani laudantur.

Authoris intentum.

nem omninò impossibilem : quoniam in tomis Author cæteris eandem Assertionem assumit, & crebrò repetit, vnde deberent omnes ab aliquo Theologo relegi ; & corrigi, vbicumque contextus iansenizet.] Ergo hæc mea scriptio venerabitur D. Fagnani personam, laudabit plerasque omnes Resolutiones, & tantùm aduersabitur illi, in quâ agitur *de Opinione probabili.*

RESOLVTIO I.

112 *An Canonistæ dignè possint de probabilitatis sufficientia ad conscientiæ securitatem disputare?*

CEnsura de hac propositione, In Fidei & morum materia ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis. *Est Theologica, subtilis & grauis; & quia vtriusque Philosophiæ, supponit penitiorem notitiam, se subrigit supra Canonistarum cothurnum.* Sanè illud Adagium *Vnicuique in arte suâ credendum est.* In omni scholâ obtinuit, nec expedit, vt Artes confundantur. Dixit olim Ouidius.

Nauita de ventis, de bobus narrat Arator,
Enumerat miles vulnera, Pastor oues.

Vnde scitè alius intulit.

—— *Tractent fabrilia fabri.*

Ergo Theologica Theologi, non autem Legistæ aut Canonistæ. Audi Syluestr. *verb. Papa. num.* 4. dicentem. *His* (Theologis) *& non Canonistis est standum; quia materia est Theologica.* Consonat sibi *verb. Opinio*, §. 2. *pag.* 108. *b.* dicens, *Si sunt Theologi, Canonistæ, & Legistæ, præferuntur Theologi in materiâ Iuris Diuini, Veteris & Noui: Canonistæ verò in materiâ Canonicâ: & Legistæ in Legali.* Vnde scitè *in summ. verb. Opinio*, *pag.* 434. Tabiena, *Si sunt Doctores, Theologi, Canonistæ, & Legistæ; in Theologiâ sequimur Theologos, in Iure Canonico Canonistas, & in Iure Ciuili Legistas*, &c. Et quidem hæc omnia admittit expressè D. Fagnanus, qui *tom.* 1. *pag.* 12. *num.* 54. sic inquit. *Nos Canonistæ decidamus quæstiones nostras, & Theologi decidant quæstiones suas; quia non est sine culpa ponere falcem in messem alienam, vt de Legistis & Canonistis dicebant in cap. fin. infra de condit. appos.* Butr. *num.* 8. *in fin.* & Alex. de Næuo *num.* 26. &c. *nam*, vt inquit Baldus.

Vnicuique in propriâ arte credendum.

Baldus, *in princ. ea quæ continentur in hoc capitulo pertinent ad apicem Theologiæ, contra quam perniciosè erratur.* Dominus igitur Fagnanus hanc Resolutionem affirmat, & semetipsum manifestè condemnat.

Sanè, vt nemo negare possit D. Fagnanum non esse sufficientem, vt contra vsum probabilitatem scribat, prodiit in Lucem ille Tomus primus, in quo passim probabilitas cum certitudine, probabilitas cum improbabilitate; necessitas medij cum necessitate præcepti: honestas actus cum honestate obiecti; bonitas formalis cum materiali; malitia absoluta quæ est, cum hypotheticâ & conditionatâ, quæ esset, miserabiliter confunduntur: in quo non minùs est culpandus, ac si quis de cane Latrabili prædicata enuntiaret, quæ apud Astronomos & Architectos Militares de æthereo aut bellico passim leguntur. Nolo V. Eminentiam Longo Excursu onerare, & breui omnia recensere non possum. ergo hoc verbulo insinuasse sufficiat; nam omnes hoc ipsum Theologi notarunt, quod & ego retractabo vberiùs, si necessarium iudicabitur. 113 *An terminos confundat & non capiat D. Fagnanus?*

RESOLVTIO II.

EAdem *Propositio*, Ad securitatem conscientiæ, &c. *vniuersaliter accepta vera est.* Nec contra hanc militant vota, iuramenta, præcepta; nam, qui vouit, iurauit, aut Legitimo præcepto obstringitur ad sequendum aliquam opinionem probabilem, certum est non posse sequi oppositam, sed æquè certum est hanc impotentiam non nasci ab intrinsecis Probabilitatis prædicatis, sed à voto, iuramento, aut præcepto extrinseco. Pono exemplum. Egredi domo secundum se consideratum est actus indifferens. Præcipitur Petro vt maneat domi: egreditur: peccat. An ne egressio est mala? mala est non quà egressio, sed quà interdicta. Sic similiter hæc Propositio, *Deipara est sine peccato concepta* ad morum & fidei materiam spectat, & est probabilis. Vt nemo illam neget iubet Pontifex; & tamen illam esse falsam ait Ioannes: Quid iuris? Ajo Ioannem sequendo opinionem probabilem, hoc est, sentiendo Virginem esse conceptam in peccato, non peccasse: 114 *Voto, iuramento, & præcepto potest humana libertas in quacunque materiâ limitari.* *De conceptione Deiparæ.*

[& hoc est extra omnem dubitationis aleam, nam illud in suâ Bullâ attestatur sanctissimus D. N. vt inferiùs videbitur.] At inquam Ioannem peccasse suam mentem verbis externis exponendo: non quidem, quia loqui iuxta opinionem probabilem, secundum se consideratum peccatum sit; sed quia accedente præcepto illa prior limitatur libertas: & hoc tam certo, vt oppositum sit improbabile. Quamobrem si Pontifex in Lege suâ dispensaret, ille negare illam Propositionem posset sine peccato.

RESOLVTIO III.

115 *Quânam Censurâ inuri debeat D. Fagnani doctrina?*

HÆc *Propositio*, In materia Fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis, *quæ D. Fagnani est, vniuersaliter accepta* (*hoc est ita generaliter accepta, vt in nullo casu sit licitum iuxta probabilem sententiam operari*) *est hæretica.* Ostenditur: quia imbibit intrinsecè fundamentales VVicleffi, Lutheri, Caluini, Bayi & Iansenij hæreses, & clarissimè illas quinque Propositiones, quas Innocentius X. & Alexander VII. hæreticas esse declararunt. Videatur catena Hæreseos Iansenianæ, quam literis istis adiungo Demonstratur Censura: quia si D. Fagnani doctrina vniuersaliter accepta esset vera, occurrerent milleni casus, in quibus homo necessariò peccaret. Vnum produco. Iacet moribundus sensibus destitutus, qui Christianè vixit, & nullo signo externo confessionem petiit. Superuenit Parrochus: quid faciet? Est probabile Parrochum in tali casu absoluere non posse: est probabile debere sub mortali: inter absoluere & non absoluere nullum est medium. Parrochus ergo quidquid faciat, aut non faciat in casu debebit in materiâ morum probabili insistere sententiæ; & stando D. Fagnani doctrinæ necessariò peccare. Possem centenos alios casus adiungere, quibus consideratis grauissimi Authores aut Deum iubere impossibilia, aut probabilibus nostris opinionibus esse contentum iudicarunt. At non illud. Ergo hoc. Vide Serram, Acacium, & alios quos noster Physico-Theologicus Hyperaspistes producit.

Stando D. Fagnani opinationi sæpe homines necessariò peccarēt. De absolutione moribundi sensibus destituti.

Eram

Eram Louanij cùm iam mortuo Ianſenio Exſequutores Teſtamenti de clandeſtinâ eius Auguſtini Editione ſecretiſſimè deliberabant. Et D. Libertus Fromondus inter huius nouæ doctrinæ Aſſeclas Coriphæus, vt viam ſuperuenturo aperiret errori; aut veriùs, vt illum, nihil ſimile Academiæ Doctoribus præuidentibus, diſſiminaret, has Propoſitiones, *Probabilitatum vſus eſt res noua. Non poteſt non condemnari apud Deum, qui relinquens viam tutam, inſiſtit opinioni probabili. Opiniones, quæ dicuntur aut ſunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deum.* Quæ conſideratâ Authoris intentione, æquiualent huic, *Ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*, quæ D. Fagnani eſt, conatus eſt in ſcholam protrudere. Se oppoſuerunt Viri probi & docti: illúmque Ego impugnaui in Theologiâ Regulari, quam anno 1639. Brugis edidi. At poſteà quando detectâ laruâ, quò illa doctrina tenderet rimari licuit, vberiùs fortiúſque in ſecundâ & tertiâ eiuſdem Operis editione. Vide *diſp. 6. artic. 3. num.* 60. 61. *&* 62. vbi probabilitatum vſum eſſe antiquiſſimum, ſecuriſſimum & ſummè vtilem conſcientiarum puritati & ſolamini oſtendo. 116

An D. Fagnani doctrina hereſim Ianſenianã contineat.

Liberti Fromondi conatus in Belgio.

Ante annos paucos Ianſeniani in Galliâ, vt doctrinam Ianſenij ab Innocentio X. condemnatam ſub larua pietatis reuocarent, ſunt pium & doctum probabilitatum vſum incriminati; præuidentes, illo ſemel proſcripto Ianſenianam neceſſariò hæreſim reſurrecturam.

Ianſeniſtar. conatus iterati in Galliã.

Dices D. Fagnanum non ſumere vniuerſaliter illam Propoſitionem, ſed particulariter: ita vt in aliquibus caſibus liceat, & in aliquibus non liceat vti opinione probabili. Negat hoc ipſe Fagnani liber. Sed qui ſunt caſus, in quibus homo conſcientiam ſuam non poteſt concredere probabilitati? Si hæc limitatio à voto, iuramento aut præcepto Charitatis, hoc eſt, Dei, aut hominis naſcatur, dicit ille quod omnes Theologi vnanimi conſenſu affirmant: at D. Fagnanus contra omnes ſe profitetur ſcribere: ergo malè excuſatur. Sit igitur. 117

An poſſit D. Fagnanus excuſari & ad doctrinã communem reduci?

RESO

RESOLVTIO IV.

118 *Doctrina D. Fagnani se destruit.*

QVomodocumque *excuſetur aut exponatur doctrina Fagnani, ſeipſam deſtruit, & contradictionem inuoluit.* Demonſtratur: & conſidera benè, hoc argumentum, quod ſubijcio Nam illa Fagnani Propoſitio, *In materiá Fidei & morum ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit opinio probabilis*, vel eſt de Fide, vel ſcientifica, vel probabilis, vel dubia vel improbabilis & euidenter falſa. Vel detur aliud Propoſitionum genus, quod ad hæc non reducatur. Ergo progrediamur paulatim.

Non eſt de fide.

Dico primò. Illa D. Fagnani propoſitio, non eſt de fide: vel qui oppoſitum aſſerat, det vel ſacræ Paginæ textum, vel Concilij Canonem, in quo contineatur.

Non eſt euidēter certa.

Dicò ſecundò. Illa eadem propoſitio non eſt ſcientifica: vel qui oppoſitum aſſerat, det vel vnicam Demonſtrationem, hoc eſt, vel vnicum ſyllogiſmum, in forma ſeu figura legitima, cuius præmiſſæ ſint per ſe notæ; & Concluſio ſit hæc Propoſitio, de qua contra D.Fagnanum agitur.

Non eſt probabilis.

Dico tertiò. Illa ipſiſſima D. Fagnani propoſitio, non eſt probabilis, nec dubia, ſed omninò improbabilis: quod omnium Theologorum conſenſus & doctrina manifeſtè perſuadet.

Sed demus probabilem dici, quod non patiar: hac hypotheſi data.

An Probabilitas ſe opponat probabilitati?

Dico quartò. Ignorat Dialecticam, qui putat medio probabili poſſe probabilitatem impugnari.

119 *N. B. Fulmē Dialecticum.*

Præterea, vt D. Fagnanus videat Canoniſtas, Iuriſtáſque ideo in Theologia, quoties audent, exorbitare, quia in Dialectica ceſpitant, hoc fulmen eidem hypotheſi (aliàs falſæ; quia doctrina, quam reprobo, non eſt probabilis, ſed improbabilis) inſiſtendo diſplodo. Sic inquam.

In materiá Fidei & morum non licet conſcientiam concredere Aſſertioni probabili. Eſt D.Fagnani: & ab ipſo negari non poterit.

Sed hac Aſſertio, In materia Fidei & morum non licet vti opinione

opinione probabili, *est probabilis.* Hæc conceditur vrbanitatis gratiâ; quia reuera est falsa, & improbabilis: & vniuersaliter sumpta, certò hæretica.

Ergo in materiâ Fidei & morum non licet conscientiam prædictæ D. Fagnani Assertioni concredere.

Vide Notas ad Epistolã dedicatoriã: & præcipuè liter. AA. §. Periissent.

Forma est legitima. Maior est D. Fagnani: minor tua: & conclusio contra te, & D. Fagnanum infertur.

RESOLVTIO V.

D. *Fagnani doctrina omnia Tribunalia (Ecclesiastica, Sæcularia: Criminalia, Ciuilia) iniustitiæ & iniquitatis appellat.* Patet, quia secundum allegata & probata illa procedunt: & tamen allegata & probata interdum fallunt, & tamen non sunt euidentia aut scientifica, sed sæpe probabilia tantùm, aut etiam probabiliora, si velis. 120

Stante D. Fagnani doctrinâ Tribunalia stare non possunt.

RESOLVTIO VI.

E*Adem D. Fagnani doctrina accusat iniustitiæ & iniquitatis omnia bella.* Vt hanc demonstrem, non ad belli causam, sed ad effectum: non ad hostes, sed ad commilitones recurro. Esto aliquando causa belli certò iusta: esto liceat, aut non liceat armis tueri aut recuperare ius probabile: Authores disputare & probabiles opiniones hinc inde tutari sinamus: verum enim verò vt aliquid certum dicamus, conflictum ipsissimum consideremus. Militiæ Principi, qui acies in conflictu gubernat, non licet milites prodigere, nam contra quintam Decalogi Tabulam peccaret, si sine vtilitate militem constitueret, vbi debeat occidi. Ergo non posset signa in hostem dirigere nisi haberet certitudinem obtinendi victoriam. At rarò vel nunquam datur hæc certitudo, sed omnes sub spe probabili vel vrbes obsident, vel obsessas propugnant, vel in campo confligunt. Vnde Dauid ad nuncium missum à Ioab. *Varius euentus est belli: & nunc hunc, & nunc illum consumit gladius:* & Cicero 11. Philipp. *Sed vt concedam incertos esse exitus belli: martem communem*, &c. quò 121

Eadē stante nullū bellū iniri potest.

An conflictū inire possimus cum spe victoria probabili.

2. Reg. 11. d.

I respicere

respicere videntur Astronomi, cum Martem *ancipitem & communem* appellant. Mars ergo nunquam certus, semper varius & tantùm probabilis. Ergo, si cum probabili spe non licet conflictum inire, omne bellum est iniquum in praxi.

RESOLVTIO VII.

122 E*Adem D. Fagnani doctrina Medicos & Medicam Artem condemnat.*

Medicina hodie duplex: vtraq; probabilis: neutra certa. Vide Ioann. Helmontiũ.

Porrò hodie Medicorum scholæ sunt duæ: Galenica, & Paracelsistica: & dum altera alteram erroris accusat, cùm neutra certa sit, vtraque est dicenda probabilis. Ad metalla recurrunt Paracelsi discipuli, occlamántque,

Claude scholas Galene tuas, satis occisorum est.
Esse imò nimium, plena sepulchra tonant.

& me iudice, cùm sic obloquuntur:

Væ tibi, væ nigra dicebat cacabus olla.

nam ipsi plures, & crudeliùs occidunt.

Quid cum alterutris faciendum, à D. Fagnano rescire opto: nam, si in morum materiâ probabilem opinionem sequi non liceat, vtrosque debebimus ab orbe Christiano proscribere; Deus enim homicidia interdicit, & in morbis acutis Medici, seu herbis, seu lapillis, seu metallis vtantur, omni certitudine & securitate destituti, vias ineunt probabiles; in quibus, si materialiter errent, inuiti ægrotum & præter intentionem occidunt.

In morbis acutis Medici nihil supra probabilitatem sciunt.

RESOLVTIO VIII.

123 E*Adem D. Fagnani doctrina tollit Ecclesiasticam & sæcularem omnem authoritatem.* Vel dicito: si in morum materiâ probabilis opinio non sufficit, nec superior iuxta probabilem præcipere, nec inferior iuxta probabilem poterit obedire. Iubeant ergo Pontifices, Episcopi, Abbates, &c. iubeant Cæsares, Reges, Principes, &c. pleráque omnia eorundem practica decreta & præcepta insistent probabilitati. At D. Fagnanus in morum materiâ probabilem opinionem

An superior possit probabilia præcipere: an Inferior teneatur obedire in materiâ probabilis

non sufficere statuit: ergo pleraque Superiorum præcepta erunt iniusta: ergo subditus rarò vel nunquam obedire tenebitur.

Et quidem eadem perturbatio sequeretur, si diceremus teneri hominem sequi probabiliorem opinionem: quis enim Superior persuadere subditis discolis poterit, ea, quæ præcipit, esse semper certò aut probabiliùs necessaria aut vtilia? *De probabilioritate.*

RESOLVTIO IX.

E*Adem D. Fagnani doctrina, destruit pleraque, quæ resoluit D. Fagnanus.* Demonstraturus sum, sibi passim D. Fagnanum contradicere, & quia rem non capit, & nodum difficultatis non penetrat, eadem ipsa interdum affirmare & negare. 124 *An D Fagnanus sibi frequenter cōtradicat?*

EXPLICANS Caput *Firmiter. num.* 15. ait. *Extra controuersiam est, cuilibet vsum rationis habenti necessarium esse ad salutem Articulos Fidei credere, vt symbolo Athanasij, &c. quia sine fide impossibile est placere Deo.* Et hîc in Assertione, fidem expressam cum implicitâ; necnon necessitatem medij cum necessitate præcepti: Et in probatione fidem actualem cum habituali confundit: nam Apostolus de habituali loquitur, non de actuali. Si dubites, lege Leandrum *part.* 6. *tract.* 6. *disp.* 2. *quæst.* 4. ibi enim agens de fide explicitâ ait, *Certum est, quod fides omnium mysteriorum non sit ad salutem consequendam necessaria, necessitate medij.* Iubetque legi Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 2. *num.* 2. Valentiam 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3. Suarium *disp.* 12. *de Fide sect.* 3. Arriagam 2. 2. *tract. de Fide disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 7. Fagundez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. & alios, qui de hoc argumento scripserunt. *Ad Heb.* 11. *An D. Fagnanus confūdat Theologicos terminos.*

POSTEA *num.* 18. D. Fagnanus hanc Conclusionem statuit. *Omnes adulti, etiam simplices, tenentur explicitè credere Deum esse, & remuneratorem omnium bonorum.* Sed tu hunc casum considera.

Nascitur Petrus, baptizatur: antequam loqui sciat capitur à barbaris, in syluam inducitur, & atheïsmum positiuè docetur. Ad vsum rationis peruenit: posse inuincibiliter nescire 125 *An D. Fagnanus necessitatem*

medij cum necessitate præcepti; & fidem implicitam cum expressa cōfundat.

Deum, saltem ad Tempus, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur hic, antequam ignoret vincibiliter Deum, & aliquod committat mortale.

Quò Petrum D. Fagnanus mittet? non ad infernum, quia originali ille & actuali mortifero caret: ad cœlum ergo. Ergo expressa & actualis fides non est ad salutem necessitate medij necessaria.

Ad Heb. 11.

Ad testimonium Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, &c. respondet P. Acacius March de Velasco intelligi hoc, *regularmente hablando:* hoc est, non semper, sed frequentiùs.

An Dauid humanæ vitæ terminū bene definiat?

[Et quidem esse nonnullos sacræ Scripturæ locos, qui sic debeant exponi, demonstrat Psalmus LXXXIX. in quo Propheta Rex sic inquit. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in Potentatibus octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor.* Distinguit pauperes à diuitibus: illi miseriis vexati ante diem auferuntur: hi, quia valetudinem curant, superuiuunt. At hodie hîc Romæ multi pauperes, multi diuites sani salui & incolumes, sine labore, sine dolore, sine molestiâ annum nonagesimum superant: ergo illa indefinita propositio, aut particularis est, aut moraliter vniuersalis, ita vt non de omnibus & semper verificetur, sed de plerisque & *regularmente hablando*, vt Acacius verba Pauli exponebat. Hac viâ lucem habent aliquæ Patrum Propositiones, quæ falsæ essent, si ad vniuersalitatem Metaphysicam reducerentur. Sanè hæc Positio, *Opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Ethnicorum sunt vitia.* In Augustino, &c. Luthero, Caluino, &c. Bayo, Iansenio, &c. reperitur. Damnatur in his; an etiam in Augustino? Absit. Sed cur in istis sic, in illo non? P. Macedus in libro illo, quem *Augustini Mentem veram* inscripsit, rationes aliquas solidè & prudenter producit; sed ex illis hæc mihi impræsentiarum seruire poterit. Sanctum Augustinum non loqui vniuersaliter Metaphysicè asserit, sed agere *de iis actibus, qui plerumque fiunt ab infidelibus, vt non neget eos bene vnquam sine gratiâ operari posse, sed vix vnquam benè propter difficultatem operari: quo fiet, vt regulariter dicat eos malè operari.*

An sacra Pagina & Patrū verba intelligi debeāt vniuersaliter?

operari. Nota illud, *regulariter.*] At ego faciliùs & clariùs respondeo, agere Apostolum de adulto Ethnico, qui accedit ad Deum, hoc est, conuertitur: hic enim nisi sciat Deum esse, & remuneratorem esse, conuerti non potest: & quia in originali peccato est, saluari non potest. *Pono alium casum.*

IOANNES, homo Philosophus, dari Deum per demonstrationem cognoscat. Est probabile fidem & euidentiam de eodem obiecto in eâdem non posse personâ componi. Ergo iste non poterit credere Deum esse. Ergo poterit accedere ad Deum, si Deum esse euidenter sciat, nec opus erit vt Deum esse credat. Sic docuit Bañez 2.2. *quæst.*2. *art.*4. sic Caietanus & Carthusianus *in Epistola ad Hebræos cap.* 11. Sanè non esse necessitate medij, & in omni casu necessariam notitiam Dei, vt remuneratoris, docet Arriaga, 2.2. *disp.*12. *sect.*4. *num.*27. Granados *controuers.*8. *de Gratiâ*, *tractat.*9. *disput.*3. *num.*2. Ripalda *de Fide disput.*17. *sect.*13. *num.*208. *& sect.*14. *n.*229. *&* 233. Leander *part.*6. *tract.*2. *disp.* 2. *quæst.*6. Ergo D. Fagnanus in materiâ fidei & morum tenet opinionem aut falsam, aut merè probabilem: tutâ igitur conscientiâ possumus in materiâ morum & fidei habere opinionem probabilem. 126 *An Philosophi credant dari Deum?*

DEINDE *num.*19. hanc Conclusionem docet. *Simplices, & fortè omnes Laici, non tenentur alios fidei articulos à supradictis explicitè credere, sed satis est, vt credant verum esse quidquid credit Ecclesia Catholica.* Sed quid his verbis ille intelligit? tenebras. *Quid Laici teneantur credere?*

Si dicat præter Deum esse, & remuneratorem esse, nihil aliud necessitate medij credendum esse, docebit aliquid merè probabile; & minùs securum: nam impugnabitur à Becano, *de Fide cap.* 12. *quæst.* 2. *num.* 2. *conclus.* 1. *pag.* 333. & apud eum ab Alexandro, Alberto, Bonauentura & Scoto. Quibus assentiuntur Ægidius *de Fide disp.*14. *dub.*9. *num.* 147. Lorca *disp.*21. *num.*4. Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disput.*1. *punct.*9. *num.*3. & alij, qui docent non solùm nunc, sed etiam ante aduentum Christi necessariam fuisse necessitate medij explicitam alicuius inter Deum & homines Mediatoris notitiam. Et loquendo de nostro æuo, post sufficientem Euangelij promulgationem, esse necessitate medij necessariam explicitam 127 *An sufficiat Deum esse, & remuneratorem esse credere?*

Christi notitiam affirmant absolutè Molina, Valentia, Sanch. Granadus, Lorinus, Bonacina, Pesantius, Filliucius, Trullenchius, & alij apud Leandrum *vbi suprà disput. 2. quaest. 8.* Ergo iterum in materiâ fidei D. Fagnanus adhæret opinioni probabili, & minùs securæ.

128 *An necessariũ necessitate medij sit articulos fidei scire & credere?* *An, & quomodo quis debeat credere Trinitatis mysterium?*

Si ita suam secundam Conclusionem D. Fagnanus exponat, vt duodecim Articulos Fidei teneatur expresśe quis credere necessitate medij; secunda illa Conclusio ex probabili transibit in falsam, & contradicet tertiæ videlicet. *Si quis habeat fidem implicitam eò quòd credat quidquid Ecclesia credit, sed falsò opinetur ratione naturali motus, Patrem esse maiorem seu priorem filio: vel tres personas esse tres res à se inuicem distinctas, non est hareticus, nec peccat, dummodò errorem suum non defendat, & hoc ipsum credat, quia credit* (putat) *Ecclesiam sic credere*, &c. Legantur quæso, & attentè relegantur hæc verba, quia demonstrant D. Fagnanum ignorare Theologiam: & benè intellecta euertunt eiusdem vniuersam doctrinam. *Si quis*, inquit, *ratione naturali motus* [adde *graui*: nam ratio leuis, sicut nec ad probabilitatem sic nec ad actûs honestatem, aut excusationem sufficit.] *falsò opinetur Patrem esse maiorem filio* [adde, quà Deo: nam quà homo ait ipsemet Filius, *Nam Pater maior me est.*] *aut esse priorem Filio* [adde realiter: nam inter Patrem Diuinum Filiúmque Thomistæ rationis prioritatem, Scotistæ originis prioritatem admittunt] *vel tres personas esse tres res à se inuicem distinctas* [adde hic etiam verbulum, quod auferat hallucinationem. Sanè Diuina persona est aliquid: non enim est nihil. Si aliquid; de illa prædicabitur *Reubau*, hoc est, *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Vnum*. Ergo quid debet addi? Debent illa verba sic legi. *Esse tres res absolutas à se inuicem adæquatè (personaliter & essentialiter) distinctas*, vel vnico verbo, *condistinctas*] *Modò suum errorem non defendat* [adde, contra Declarationem Ecclesiæ; nam contra alios homines priuatos nîl vetat illum posse defendere.] Hæc periodus ad Theologicam limam correcta diruit totam D. Fagnani doctrinam: nam Trinitas pertinet ad materiam fidei, Ergo si quis ratione naturali motus potest sine peccato opinari filium, aut esse maiorem,

iorem, & priorem Patre, aut distingui in ipsamet natura à Patre; & hoc, quin peccet, & hæreticus sit: errat & sibi contradicit D. Fagnanus, cùm dicit, *Ad securitatem conscientiæ non sufficere in materiâ fidei opinionem probabilem.*

Volvi hîc finem huic excursui ponere: at occurrit caput. 129
Ne innitaris, *num.* 15. *pag.* 38. vbi inter alias quæstiones, in quibus alterutrum licet sentire & propugnare, ponit hanc, *Si Adam non peccasset, vtrùm Christus incarnatus esset?* Et hîc ego rescire à D. Fagnano velim, in quo ille libro hanc exorbitantiam & implicantem Quæstionem proponi legerit? Videtur enim distinctionem, quæ est inter nomina *Verbum æternum*, *& Christus*, non callere: nam hæ Positiones, *Christus assumpsit carnem humanam*, *Christus fuit incarnatus* & similes, sunt repugnantes & impossibiles: &, si pertinaciter defendantur, hæreticæ: euidenter enim opponuntur Articulis Fidei Catholicæ: æternus enim æterni Dei filius est, qui descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, & homo factus est. Sed hunc errorem homini non Theologo condonemus. Rem ipsam vrgeamus. In hac quæstione licet sentire alterutrum propter rationes graues quæ adducuntur hinc inde; sic asserit D. Fagnanus: Sed hæc Quæstio est fidei. Ergo in materia fidei licet sentire alterutrum, si nihil ab Ecclesia determinatum sit, & vtrimque militent rationes probabiles. Minor ostenditur. Nam Thomistarum, qui probabiliorem Resolutionem tenent, præcipuum contra Scotistas argumentum innititur illis verbis Symboli, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis:* quæ sunt fide tenenda. Desumpserunt sententiam suam Thomistæ ex S. Augustino, qui *serm. de verbis Domini* hæc habet clarissima verba, *Quare venit in mundum? Peccatores saluare. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum.* Et iterum *sermon. de verb. Apost.* æquè clarè. *Nulla causa fuit veniendi, nisi Peccatores saluos facere.* Hanc Assertionem tam certam iudicauit sanctus Pater, vt in illa doctrinam de Prædestinatione & Gratia, à multis Pontificibus confirmatam, fundauerit. Non igitur est de nihilo, aut de lana caprina quæstio, quæ inquirit, *An, si Adamus non peccasset, æternus æterni Patris Filius carnem sumpsisset?*

An quæstio, illa, An, si Adamus nō peccasset, Verbū carnē sumpsisset? *sit libera? An ad fidē spectet?*

An Christus incarnatus sit?

An ad fidē spectet hæc Quæstio?

Quid sentiat Augustinus?

set? vt putat D. Fagnanus; sed pertinet ad materiam fidei & morum. At in hac quæstione asserente D.Fagnano, licet nobis alterutram habere sententiã. Ergo in materiâ fidei & morum, quando duæ concurrunt opiniones probabiles, licet nobis amplecti alterutrã. Ergo & minùs probabilem: nam vt paulo antè dicebamus, in hac Quæstione probabilior est Thomistarum opinio, & opposita minùs probabilis. Ergo, dum vult eruditus videri, se destruit D.Fagnanus.

Sese ipsum D. Fagnan. impugnat.

Sanè opinio Augustini traditur à D.Thomâ 3. *part. quæst.* 1. *artic.* 3. Caietano *ibid.* & 4. *contr. Gentes cap.* 55. Ferrar. *ibid.* & *in* 3. *dist.* 1. 7. 1. *art.* 3. Medinâ *ibid.* Vasquez *disp.* 28. Card. Lugone *disp.* 7. *de Incarn.* & multis aliis.

RESOLVTIO X.

130 EAdem D. Fagnani doctrina, si obtineret, omnes ad vnum homines, adeóque ipsummet D. Fagnanum perturbaret: demonstrarétque clarissimè mentitum fuisse illum, qui dixit, Iugum meum suaue est, & onus meum leue.

An D.Fagnan. viuat, vt docet?

Ostenditur. Nulla est materia in Theologiâ, in quâ non sit aliqua opinio, quæ displiceat D. Fagnano, omnes enim benignæ displicent: ergo illo sic iubente tenenda est materialiter tutior. Ergo strictior: hæc enim semper erit materialiter tutior. Ergo tenebuntur Christiani semper opinionem strictissimam quærere, & peccabunt mortaliter, si fortè aliquando secundum strictam operentur strictiore relictâ: quam doctrinam falsam esse Propheta Rex supposuit, cùm dixit, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*: nam ad D Fagnani mentem debuit dicere, *cùm strinxisti cor meum.* Quam etiam supponit esse falsam Ordo Patrum Prædicatorum sapientissimus, doctissimúsque, habet enim in Prologo Constitutionum. *Relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consiliis: & benignè omnes tractandi sunt.* Quam tandem etiam falsam esse omnes Recentiores supponunt.

An semper insistere debeamus strictiori sententiæ?

131 Sanè homini existenti in extrema necessitate debere succurrere D. Fagnanum, si possit, certum est: & quidem debere etiam

Quàm sit rigidã præ-

etiam ex rebus ad status & authoritatis suæ necessariis probabile est: hoc enim doctissimi scriptores affirmant. Vide Leandrum *part.6.tract.5.disp.2.quæst.*17. Præterea, captos à Banditis, à Pyratis, à Turcis, &c. si pauperes sint, esse in extremâ necessitate si sit periculum, quod nisi redimantur, occidentur, probabile est. Vide Leandrum *part. 6. tract. 5. disput. 2. quæst.*8. Bonacinam *disput.3. quæst.5. punct 6. num.*4. & alios. Imò etiam cessante hoc periculo debere à diuitibus redimi probabile est. Vide Leandrum *ibid. quæst.* 10. qui plurimos allegat Authores. Hanc obligationem dandi eleemosynam ad grauem necessitatem Authores grauissimi probabili discursu extendunt. Vide Leandrum *ibid. quæst.*25. Ergo D.Fagnanus, siquidem sequi debet strictiorem sententiam, & non potest probabilium sententiarum benignitate fruisci, non habet domum propriam, non aulæa, non supellectilia, non duas tunicas, sed omnia vendidit & errogauit, vt eiusmodi captiuos redimeret. Vel, si non fecit, nos scandalizat, nam aliter viuit, quàm docet. Adeóque non est bonus Magister: boni enim Magistri characterem exprimit S. Benedictus his verbis. *Omnia, quæ discipulos docuerit esse* (Deo) *contraria, in suis factis indicet non agenda; ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniatur*, &c. Ergo, si strictiorem & tutiorem amplecti opinionem sub mortali tenemur, cur minùs tutâ probabili tamen, D. Fagnanus est contentus in praxi? Et si hoc ipsi licet (& quidem omninò licet) cur cæteris non etiam licebit? Plura possem hîc dicere, si vellem vexare senem optimum, & mihi charum, multa enim sunt, in quibus non sequitur strictiorem sententiam; sed quia sanctissimè viuit (sufficit enim ad hoc minùs stricta, & minùs probabilis) personalia omittamus.

ceptū eleemosynæ stādo D Fagn. sententia.

An illi D. Fagnanus satisfaciat?

S. Benedict. in Regulæ cap.2.

Bonus Magister qualis?

Profectò habere obligationem Principem cogendi diuites ad erogandas eleemosynas, quas debent, probabile etiam est. Et certum, quod turbaretur Respublica, si semper hæc doctrina reduceretur ad praxim. Ergo tenetur sanctissimus D.N. sub mortali cogere Principes, Nobiles, &c. adeóque & D.Fagnanum, vt has eleemosynas elargiatur, etiam venditis omnibus supellectilibus. Et quid ad hæc illi? Dicent se viuere 132

An Princip. cogere debeant subditos, vt eleemosynas debitas elargiātur?

ſecundum opinionem probabilem tutam, & ad tutiorem non obſtringi?

133 *An Clerici teneãtur ad Diuinum Officium?* VENIO ad Horas Canonicas. Profectò *in cap. ſi quis Presbyter.* agitur de Officio Diuino, & dicitur, *quemlibet Clericum teneri adhæc.* Vnde nonnulli Canoniſtæ inferunt Clericos obligari ad Officium Diuinum. Ergo Confeſſarij tenentur monere Clericos de hac obligatione. Ergo non debebunt illos abſoluere, niſi recitent. Quanta hinc orirentur conſcientiarum pericula!

134 *De materiâ ieiunij.* IN MATERIA ieiunij, ſicut multæ ſunt opiniones benignæ, multæ etiam ſunt duræ & ſeueræ. At hæ materialiter loquendo ſunt tutiores. Vadat quæſo ad Germaniam, Bohemiam, Hungariam, Belgium, &c. D. Fagnanus, prædicétque illas opiniones eſſe tenendas ſub peccato mortali, & videbit, quid dicent Auditores, aut facient.

De oſculis, tactu manuũ & aliis actibus, qui ex vrbanitate debent fieri. DE OSCVLIS, manuum contactu, &c. & periculo illis adnexo, nimis laxè ſcripſerunt nonnulli, ſed probabilitatis limites prætergreſſi: illos nec defendimus, nec excuſamus. At intra probabilitatis terminos dantur opiniones benignæ, quæ illis, qui aut ſponſi de futuro ſunt, aut eſſe deſiderent, ſunt neceſſariæ; cæterùm, ſi ſtrictiores, opiniones tanquã ſecuriores ſint eligendæ, tota Gallia turbabitur, in quâ oſcula ad vrbanitatem ſpectant, & periculum dicitur, aut probabiliter abeſſe, aut adeſſe per accidens: & prætereà matrimonia poterunt & debebunt tractari per procuratorem; nam iuuenes, ſi doctrinæ ſeueriores tantùm ſint admittendæ, vt immediatè agant de matrimonio futuro, non ſunt apti. Sanè ante mille ſexcentos annos in Palæſtinâ, & ante mille ducentos in Italiâ homines ex carne & oſſibus conſtabant, vt nunc: & erant expopoſiti periculo vt nunc: tamen oſculo ſe ſalutabant. Morem hunc non reprobauit Chriſtus; & S. Benedictus P. N. manutenet, & quia periculum concomitans præuidet, iubet ante oſculum pacis, orationem præmitti. Ergo homines probabilitate & præterintentionalitate excuſantur: vel alias Chriſtus & D. Benedictus morem hunc correxiſſent, & impræſentiarum corrigere deberet omninò, qui rerum potitur in Galliâ. Quid, ſi vellet? turbaret regionem ſine causâ.

An omnia matrimonia per procuratores tractanda?

Stat

Stat igitur multas probabiles opiniones benignas in regionibus diuersis præscripsisse, quas consuetudo in alteram naturam vertit, quæ nisi rebus omnibus perturbatis amoueri non possunt. *An opiniones probabiles in prouinciales & naturales transeant.*



NOTA.

De Cardinalibus.

OMITTO Eminentissimorum DD. Cardinalium Resolutiones: cùm, quia de illis varia dicunt Theologi; tum, quia maiora nos vocant, & summos Sacerdotes producturi, non est cur Cardinales producamus. Interim de illorum Decisionibus aliquid breuiter edisseramus. 135 *De Cardinaliũ Decisionibus.*

Prodeunt frequenter multæ. An omnes in materiâ euidenti, & nulla in materiâ probabili? Allegantur oppositæ: An, quæ contrariæ, sunt simul veræ? Iudicarunt prudenter illi, in vno casu hanc aut illam sententiam probabilem conuenientiorem esse: hanc aut illam in alio. Si hîc diffundi liberet, librum integrum facerem. Sed cur plura scriberem in re tam notâ. *Multa sunt in materiâ probabili.*

Ergo, si Eminentissimis DD. Cardinalibus in regimine Ecclesiæ licuit vti sententiis probabilibus; etiam id ipsum Prælatis ordinis inferioris, vt Episcopatum aut Monasterium regant; & priuatis hominibus, vt gubernent suas conscientias, licebit. *Conclusio.*

Intermissis igitur his, quæ de DD. Cardinalium Decisionibus possent vberiùs dici, &, si huc nos velit reducere D. Fagnanus, dicentur; præparemus meliorem & subtiliorem calamum, & quantâ reuerentiâ debemus, agamus de summis Pontificibus. *Transitus ad summos Pontifices.*

RESOLVTIO XI.

136 *An peccauerint mortaliter sũmi Pontifices, qui Religiosis solẽniter professi cõcesserunt, vt vxores ducerent?*

EAdem D. Fagnani doctrina accusat sceleris innumeras Sanctissimorum & prudentissimorum summorum Pontificum Operationes, Dispensationes, Leges, &c.

NOlo ingredi inuidiosam illam & multis obnoxiam præcipitiis viam, quæ priuatos summorum Pontificum actus ad Scholasticum Tribunal vocat; nec enim ita sum amens, vt omnia, quæ à Pontificibus priuatim facta, esse mala pronunciem, vt Centuriatores videntur facere: aut omnia esse bona, vt nonnulli tuentur. Hodie, hodie, Illustrissimus Episcopus N. sic contra me argumentabatur. [Si doctrina de probabilitate esset vera, sequeretur Pontificem A. in tali re, Pontificem B. in tali, &c. esse excusandos. At hæc doctrina est perniciosa Ecclesiæ. Ergo.] Respondeo, Pontificem A.B.&c. in omnibus, quæ priuatim fecerunt probabili opinioni insistendo, esse verè excusabiles & excusandos: quod si aliquid fortè sit (quod non scio) in quo illi excusari non possint, illud ajo non infuisse opinioni probabili. Ergo priuatos Pontificum actus, in quibus operantur vt homines, relinquendo, transeamus ad publicos, in quibus vt summi Pontifices procedunt; in quibus multorum Virorum Illustrium doctissimo vtuntur consilio, & erroris accusari non possunt.

137 *De priuatis summorum Pontificum actibus. Obiectio.*

Responsio.

OPortet sanè illos honorare per quos profecimus, & ideò incipiam P. Acacium March de Velasco dilaudando, scripsit enim solidissimè & prudentissimè, ciúsque libri summo applausu à Viris doctis recepti sunt. At ipse *tom. 2. verb.* Opinion prouable. *Resol.* 316. *num.* 9. sic inquit.

Acacius probat, non solùm licere nobis sequi opinionem probabilem, sed etiam minùs probabilem.

Veemos, que los sumos Pontifices en las cosas de la Iglesia, que no estan determinadas y definidas, sino de baxo de opinion de Doctores, siguen sus opiniones prouables, y no siempre las mas prouables y mas seguras: y no por eso se atreuenadie a condenarlo, por pecado. Luego, ni se puede deZir, que pecan otros, que siguen semejantes opiniones prouables, en orden a restitucion, o en orden a otras materias.

Con

Consequentia est legitima; quia æquè summum Pontificem ac cæteros homines obligat Decalogus. Ergo, si ille potest sequi opiniones probabiles, etiam hi possunt. 139 *An benè probet.*

Vt legi hæc fortissima verba in Acacio, operæ-pretium iudicaui ob oculos ponere casus, in quibus Pontifices probabili insistendo sententiæ dispensationes concesserunt. Attentis oculis lege sequentes.

PRIMÒ, non posse summum Pontificem in voto solemni dispensare probabile est. Ita habet D. Thomas, ita Patres Dominicani, & omnes Thomistæ communiter. Leander *part.2. tract.9. disp.*12. *quæst.* 12. & alij doctissimi Authores, probabiliorem esse dicunt hanc Angelici Doctoris sententiam. At asserente D. Faguano in morum materiâ non licet insistere opinioni probabili. Ergo peccauit mortaliter Alexander III. concedendo licentiam Nicolao Iustiniano, Monacho professo, vt vxorem duceret. Positâ Pontificis dispensatione non erat nisi probabile posse Iustinianum matrimonium inire. Ergo peccauit Iustinianus mortaliter contrahendo. Et, cùm post contractum matrimonium non esset nisi merè probabile Iustinianum esse valide coniugatum, peccauit mortaliter illo matrimonium consummando, & post illius consummationem vtendo fœminâ probabiliter suâ. Idem dicito de Honorio II. qui cum Ramiro Monacho, vt succederet in Aragoniæ regno fratri, qui nullo superstite filio anno 1126. in Fragensi obsidione occubuerat, dispensauit. Idem de Cœlestino III. qui adnuit, vt Constantia Regis Siciliæ filia nuberet Henrico VI. Idem de Clemente II. qui Casimiro Monacho Cluniacensi & Diacono, vt esset Polonorum Rex, & duceret vxorem indulsit. An-ne omnes hi piissimi & prudentissimi summi Pontifices fuerunt sceleris scandalosi rei? An & criminis complices fuerunt, qui vsi sunt dispensatione ab illis concessa? Absit: quoniam dicendi sunt processisse prudenter, ac propterea etiam licitè, vtpotè insistentes opinioni probabili. S. Thomas viuere desiit anno 1323. Ergo ante ipsum erant summi Pontifices in possessione dispensandi in voto quocumque solemni. Hoc tamen non obstante Angelicus Doctor oppositam sen-

An illi Religiosi vti potuerint tutâ conscientiâ hâc Apostolicâ dispensatione?

An Pontifices in voto solêni possint dispensare? An de facto dispensent?

tentiam, probabiliorem censuit: iudicauit igitur sufficienter defendi summorum Pontificum prudentiam & ingenuitatem, si secundum minùs probabilem opinionem dispensationes illas concessisse dicantur. Vnde nuper P. Acacius March de Velasco, Dominicanus, *tom. 1. verb. Opinion prouable, resol. 316. num. 9.* doctissimè sacræ Sedis authoritatem tutatur, & securissimè & summi Pontificis actionibus, ad cæterorum hominum actiones insolubile argumentum deducit.

An sit bona cōsequētia, Pontifices hoc faciūt, & putant se bene facere: ergo & cæteri possunt id facere?

140 SECVNDÒ ineamus quæstionem, quæ inquirit, An possit summus Pontifex in matrimonio rato dispensare?

De matrimonio rato. An sit dispensabile?

Negat S. Bonauentura, Scotus & eius discipuli communiter: qui cùm plurimi sint, & doctissimi, magnam authoritatem habent. Negat vterque Scotus. Negant etiam vndetriginta Doctores, quos *lib. 2. disput. 14. num. 1.* citat Sanchez. Eis subscribunt Basilius *lib. 9. cap. 3. à num. 3. ad 19.* Valentia *disput. 10. quæst. 1. punct. 7.* Becanus *cap. 47.* Palaus *disput. 3. punct. 2. §. 2. num. 3.* Meratius *de Matrim. disput. 6.* Vtramque esse probabilem docet P. Laurentius Brancacius *de sacram. tom. 3. disput. 16. art. 12. §. 2. num. 245. pag. 316.* inquit enim. *Vtraque sententia probabiliter videtur posse sustineri: affirmatiua videlicet & negatiua*, &c. Negatiuam sententiam esse speculatiuè probabiliorem affirmat Cornejus *tr. 6. disp. 6. de Matrim. dub. 4.* & Leander *part. 2. tract. 9. de Matrim. disp. 5. quæst. 7. §. Ego verò, pag. 234.* Ergo opposita erit minùs probabilis speculatiuè. Ergo & practicè. Ratio est: quia bene intelligitur alteram contradictionis partem esse probabiliorem rationaliter & ab intrinseco, alteram authenticè & ab extrinseco: puta, si illa fortiores rationes, hæc autem grauiores propugnatores habeat: at verò eandem propositionem esse speculatiuè probabiliorem, & in praxi minùs probabilem, nemo intelliget; nam probabilitas, quæ in praxi, siue intrinseca, siue extrinsecà sit, est illa ipsamet numero probabilitas, quæ est in speculatione: nec habeo intellectum tam fortem, vt oppositum intelligere valeam. Nec valet dicere, solere intercurrere in praxi nouas circunstantias, quia si hæc non fuerunt consideratæ & iudicatæ speculatiuè, alius casus in speculatione

An vna & eadē opinio esse possit speculatiuè probabilior, & practicè minùs probabilis? An contrà?

An esse possit authenticè probabilior, & rationabiliter minùs probabilis?

propo

proponitur, & alius exercetur in praxi. Interim quidquid de hoc sit, hæc opinio negans est speculatiuè probabilior, & opposita est speculatiuè minùs probabilis.

Ergo in materiâ morum, [quæ hîc etiam materiam Fidei concernit; hîc enim agitur de expositione illius Dogmatis, *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quod eo sensu, quo prostat in sacrâ scripturâ, est de fide:] Pontifices sequuti sunt opinionem minùs probabilem. Probo consequentiam, nam in Matrimonio rato & non consummato sæpe dispensarunt, vt testatur Additionator Nauarri *in Manuali cap.* 28. Porrò Pius V. excelluit in Theologicis, fuit pius & prudens, & tamen ter aut quater hanc dispensationem concessit. Et Gregorius XIII. tam esse securam in conscientia hanc opinionem minùs probabilem iudicauit, vt vnâ die (N.B.) concesserit vndecim dispensationes: asserente Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 11. *in Glossâ litera F.* P. Laurentius Brancatius alias dispensationes producit *vbi suprà num* 253. factas à Gregor. VII. Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. & Gregorio XIII. & in testes Baronium, D. Antoninum, Nauarrum, Caietanum, & Henriquez allegat. Et *num.* 256. rogantibus, cur hæc fecerint summi Pontifices, respondet. *Pontifices illi in his factis adhæserunt sententiæ Doctorum sic tenentium; non quod voluerint per ea facta Ius inducere, aut definire dogma.* Et rationem subiungit. *Multoties enim in quibusdam dubiis adhuc non definitis dicuntur Pontifices sic iudicasse, relinquentes sententiam in suâ probabilitate. Adducunt ad hoc multa exempla,* &c.

141 *An Pontifices opinionē minùs probabilem sequuti sint?*

14 *An in... du, de quo disputamus, an ad legem diuinam, an ad humanā spectent, possint Pontifices dispensare? An de facto dispensent? Quinā sint dispensabiles gradus?*

TERTIÒ, mutatâ materiâ possemus venire ad gradus consanguinitatis: sicut enim Theologi in aliquibus conueniunt, illos esse Iuris naturæ, aut Iuris Pontificij asserentes, in aliis differunt; quos enim aliqui probabiliter Iuri naturæ accensent, alij probabiliter ad Ius Pontificium adijciunt: & quidem Archidiaconus 1. *part. tit.* 1. *cap.* 14. valdè extendit gradus à Iure naturæ interdictos. Vnde Syluester *in summâ verb. Papa, num.* 17. sic inquit. [Adde verò quòd secundum eosdem (Theologos & Canonistas) quòd vbi gradus esset prohi

prohibitus Diuinâ, sed non Naturali lege, dubium est, an Papa possit dispensare. Tamen ferè omnes gradus Mosaïcâ lege prohibiti, sunt etiam prohibiti Naturali: quia ad omnes illas personas cohabitantes est amicitia naturalis, siue alio fœdere. Vnde probabilius est, quòd in illis Papa dispensare non possit.] Et legi iubet Archidiaconum. Ergo, si fortè Pontifices aliquando in illis dispensauerunt, sequuti sunt opinionem, quam Syluester vocat minùs probabilem. At sæpe in multis ex his gradibus Pontifices concessisse dispensationem certum est [nam, vt omittamus Syluestrum *vbi supr.* dicentem, *Reperitur Martinus V. vt Archidiaconus refert, dispensasse cum* *An frater sororē possit ducere?* *eo, qui cum suâ Germanâ contraxerat, & consummauerat, habito consilio cum peritis Theologis & Canonistis, propter mala & scandala aliàs inde ventura, licèt aliqui dicerent, eum hoc non posse.* Saltem in gradibus aliis minùs proximis, licèt disputabilibus Papas dispensare, frequenter vidimus, & videmus.] Stando igitur D. Fagnani opinationi dicendum est, quòd peccauerint tamen in his aliquando dispensationes concedi certum est. Mortaliter summi Pontifices, quotquot eiusmodi dispensationes concesserunt; Orbem Christianum scandalizarunt: & illi Reges & Principes quibus cum dispensatum fuit, peccarunt mortaliter illâ dispensatione vtendo: & quia post celebratum matrimonium non manserunt nisi probabiliter copulati, & sextum Decalogi præceptum stat, peccarunt mortaliter quoties matrimonialiter conuenerunt. Quis hæc toleret? Nimia & absurda sunt, & tamen à D. Fagnano negari non poterunt.

143 *An in sacramento Ordinis forma esse debeat expressa, & materia realiter tradi?*

QVARTÒ. Quærenti, *An, si Pontifex diceret alicui, Esto Sacerdos, vel Esto Episcopus Ferrariensis, talis esset verè Sacerdos, vel Episcopus?* Respondet negatiuè communis Theologorum opinio: & meus Diana *part.* 10. *resol.* 26. asserentem sententiam omninò reijcit: & in fine eandem etiam videtur iudicare absurdam, inquit enim, *Mihi non placet doctrina doctissimi & amicissimi Caramuelis* in Theol. Fundamentali num. 1190. *asserentis, quòd dum Pontifex simplici Sacerdoti committit ministerium confirmandi, illum consecrat*

Episco

Episcopum : nam hoc esset conferre ordinem & characterem Episcopalem absque applicatione alicuius materiæ. Sed hoc dicere est absurdum, ergo. Sed Caramuel nunquam docuit sufficere, vt Pontifex dicat, *Esto Episcopus*, sed putat in casu à Pontifice poni necessaria, vt ille sit verus Episcopus: quæ autem sint necessaria, non exponit. Præterea existimat Ecclesiam Latinam & Græcam non esse duas, sed vnicam : non instituisse Christum alias formas sacramentorum pro alterâ, alias pro alterâ : apud Græcos implicitè & moraliter tradi materias, quæ apud Latinos realiter & explicitè. Addit in Quæstione præsenti duas esse Scriptorum sententias, quarum asserentem teste ipso Dianâ videtur tenere Felinus, *in cap. de constitut. num. 25. vers. fallit* 4. ex Angelo *lib. 2. C. de crimin. sacril.* & *lib. 1. Cod. de sentent. pass.* Rebuff. *in praxi part. 2. tit. de Clericis, à quibus creentur, num. 9.* Iacobatio *de Concilio, lib. 4. quæst. 4. verb. Hoc tamen intelligerem.* Hostiense, Ioanne Andreâ, Abbate, & aliis. Hanc sententiam tenuit Innocentius, vt constat *ex cap. Presbyter. de sacram. non iterand.* inquit enim. *Credimus, quod nisi essent formæ postèà inuentæ, sufficeret Ordinatori dicere*, Sis Sacerdos (*ergo*, & sis Episcopus) *vel alia æquipollentia verba.*

An Græca & Latina sint duæ Ecclesiæ?

An verba, quibus conferuntur Ordines, sint instituta à Christo? an addita ab Ecclesiâ?

Et hîc Ego, quidquid de ipsâ quæstione sit, sic inquam. Hoc Innocentij Decretum non est euidenter verum : est enim contra opinionem communem. Ergo, vel debet dici euidenter falsum, vel probabile nunc, vel saltem tempore eiusdem Innocentij. Ergo cum maiori reuerentiâ & prudentiâ loquetur, qui dicat Pontificem resoluisse stando opinioni probabili, aut etiam minùs probabili, quàm euidenter errauisse. Nam, si ille in hoc euidenter errauit, cur cæteri non etiam poterunt euidenter errare? ergo Innocentius in re grauissimâ sequutus est opinionem probabilem. Sed hîc ille speculatiuè potiùs agit, quàm practicè. Ergo aliud argumentum, quod practicum & fortissimum sit subijciamus.

144 *Pietas & reuerentia postulat, ne in his quæ summo consilio geruntur Pontifices errasse euidenter, dicamus.*

QVINTÒ. In Quæstione, quæ rogat, *An tres Episcopi sint necessarij ad Episcopi consecrationem?* Non examinemus, An sint necessarij necessitate præcepti : nam in

An possit Pontifex in Ecclesia praeceptis dispensare?

præceptis Ecclesiasticis posse summum Pontificem dispensare summa doctrinæ latitudine asserimus: sed agamus tantùm de necessitate sacramenti. Porrò, si inualidè consecratur, qui non à tribus consecratur, quanta inconuenientia, aut etiam absurda sequuntur? Episcopus inualidè consecratus, inualidè alios consecrabit Episcopos, inualidè ordines maiores, aut saltem Sacerdotium conferet [nam è nostris Abbatibus aliqui Hypodiaconatum & Diaconatum ex speciali priuilegio etiamnum conferunt: minores autem Ordines plerique omnes: & posset dici titulum coloratum, quem vocant, esse priuilegium implicitum, & præstare in Episcopis probabiliter consecratis, quantum explicitum in Abbatibus præstare solet.]

An, & qui maiores ordines ab Abbatibus cõferantur?

145 Sed veniamus ad praxim. Tres Episcopos de Iure Diuino requiri, adeóque consecrationem Episcopi ab vno factam esse inualidam docuerunt Bellarminus, *lib.* 4. *de notis Eccles. cap.* 8. Bernarl. *de Sacram. disput.*49. *sect.* 2. *num.* 5. Vasquez *disput.*243. sed hunc aliqui adducunt pro contraria. Pro hac sententia citat etiam Diana, Coninchium, Philibertum Marchinum, Caietanum, Ochagauiam, Isembertum, & alios. Hanc opinionem esse probabilem tenet Hallier *de sacris Electionib. part.*2. *art.*2. §.1. *& seqq.* Eandem Diana *part.*10. *resol.* 29. esse communiorem fatetur: eandem Castrus Palaus *tom.*4. *tract.*27. *punct.* 14. *num.* 13. esse certam existimat; inquit enim. *Existimo consecrationem Episcopi ita necessariò à tribus Episcopis faciendam esse, vt nequeat Pontifex in hac parte dispensare & vni tantùm consecrationem committere.* Eámque posteà rationibus grauissimis fulcit. Hanc doctrinam supra omnem probabilioritatem videtur constituere P. Laurentius Brancati *tom.*3. *disput.* 8. *art.*4. *num.*88. *&* 89. dicens *non esse definitum de fide ad consecrationem Episcopi plures requiri.* Ergo hæc doctrina tantùm non est de fide. Et posteà agens de eo, qui non à tribus fuisset consecratus, ait, *Neque pro Episcopo haberem sic ordinatum.* Sanè tres Episcopos requiri videtur tradidisse Paulus 1. *ad Timoth.*4.14. dicens, *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Vbi nomine *Presbyterij* cœtum Episcoporum intelligit. Clariùs loquitur

An tres Episcopi ad Episcopi cõsecrationem requirãtur?

An sentẽtia affirmatiua certa sit.

S.Anica-

S. Anicetus Papa in Epistolâ, in quâ de S. Iacobi Minoris in Hierosolymitanum Episcopum Ordinatione disserit. Fortia verba sunt hæc, *Patet profectò eam formam instituente Domino tradidisse, non minùs quàm à tribus Episcopis debere Episcopum ordinari.* Nota illud, *instituente Domino*: nota illud, *patet*: illud etiam, *non minùs, quàm à tribus.* Censuit ergo esse certum & indubitatum, tres vt minimum Episcopos ex Iure Diuino requiri. Tam certam esse supponit hanc doctrinam noster Madritensis Damasus, Papa, & Sanctus, vt Corepiscopos non esse Episcopos veros pronunciet, quia ipsi ab vno tantùm Episcopo ordinantur. Et quidem insulsè & inefficaciter argumentaretur, si etiam veri Episcopi ab vnico Episcopo validè consecrarentur. Consonat Ioannes Papa III. in Epistolâ, quæ habetur *tom. 2. Conciliorum.* Et præcipuè istis verbis, *Omnia quæcumque maxima Concilia affirmant, illum non esse Episcopum, qui minùs quàm à tribus Episcopis; Metropolitani etiam authoritate fuerit factum.* Sed quæ sunt illa Concilia maxima? Generalia: & quidem Nicœnum, Carthaginense, & Arelatense Diana, Vasquez, Bernal, & alij Doctores allegant.

An, & cur Corepiscopi nō sint veri Episcopi?

Concilia.

Hæc omnia producere volui, vt videat Lector pius, an sit in totâ Morali Theologiâ probabilis aliqua Opinio, quæ maiorem habeat authoritatem, quàm hæc; &, an aliqua maioribus periculis exposita, quàm opposita, quæ est nullo modo tuta, & à multis etiamnum vix creditur minùs probabilis. At illam nihilominùs in praxi amplexi sunt prudentissimi summi Pontifices, nam Gregorius I. indulsit Anglis, vt consecratio fieret ab vno Episcopo: cuius nouæ & in praxi minimè tutæ opinioni Gregorius XIII. insistens, concessit Patriarchæ Æthiopiæ, vt ab vno Episcopo consecraretur, vt habet Henriquez *libr. 10. de Ordinat. cap. 24.* Hanc etiam opinionem reduxit ad praxim Pius V. nam, vt ait Machadus *tom. 1. lib. 4. part. 6. tract. 2. docum. 6. num. 4. & 5.* prudens hic Pontifex, *ha dispensado en las Indias, paraque con solo vn Obispo y dos Dignidades o Canonigos, que le assistan, se pueda celebrar la consagracion del Obispo nueuo.* Pragæ in Bohemiâ Abbate Straouiensi, qui erat Episcopus suffraganeus, ad vitam meliorem 146

Nota bene.

Pontifices.

Gregor. I.

Greg. XIII.

Paulus V.

liorem translato, Illustrissimus D. Iosephus Conti suffectus est, & concedente Alexandro VII. ab vno tantum Episcopo, & duobus Abbatibus consecratus. Sed & posteà Eminentissimus Princeps Archiepiscopus Pragensis, cum hoc probabili & hoc certo Episcopo alium etiam Episcopum consecrauit. Præterea anno 1657. electus Episcopus de Assumptâ ad prouinciam Paraguay pertinens, licentiam petiit à sanctissimo D. N. Alexandro VII. vt ab vnico Episcopo consecraretur; concessa fuit hæc licentia, sed antequam ad præfati Electi perueniret notitiam, à quodam ille Episcopo duobus assistentibus Canonicis fuit consecratus. Et declaratur Romæ à sanctâ Congregatione die 15. Decembr. 1657. *Supradictam consecrationem Episcopi Paraquayensis quantum spectat ad sacramentum & impressionem characteris fuisse validam: quantum verò spectat ad licitam*, &c. & 16. Febr. 1658. sanctissimus D. N. declarationem hanc confirmauit per Apostolicas literas in formâ Breuis. Vide P. Laurentium Brancatium *tom. 3. disp. 8. art. 4. num. 77.*

Alex. VII. Huc pertinent Episcopi Ephesini lachrymæ, qui diffidebat suæ cōsecrationi.

147 *Brancatij de hac sententia Censura.*

Sed quàm est certum, hunc Paraquayensis Annuntiatæ esse verum Episcopum? Respondeo esse merè probabile: sed liberè Brancatius *ibid. num.* 89. & tamen liber hic est Romæ impressus apud Mascardum, superiorum permissu, hoc an. 1662. Attende. *In huiusmodi fateor*, ait ille, *standum esse decretis Romanorum Pontificum: ideóque retuli tantùm argumenta & responsiones, quæ pro & contrà possunt adduci, eis tamen adhærere non curo, neque pro Episcopo haberem sic ordinatum.* Progredior. Si Brancatius non habet illum pro Episcopo, Ergo neque alios Episcopos, si quos ipse consecrauerit: Ergo neque habebit pro Sacerdotibus quotquot ille ordinauerit: Ergo nec pro veris missis, quotquot hi dixerint: Ergo neque pro sacramentalibus confessionibus quotquot ab his auditæ. Terribilia sunt hæc, & tamen deducta legitimè: quæ omnia sunt vera, si opinio, quam Pontifices sunt sequuti sit falsa. Ergo, si in re tam graui & periculosâ Gregorio I. Gregorio XIII. Paulo V. & tandem sanctissimo D. N. viris pientissimis doctissimis & prudentissimis licuit sequi opinionem minùs probabilem, minùs antiquam, & minimè tutam in praxi: vel

Incōuenientia. Saboriētia.

Conclusio.

vel inuito D. Fagnano licebit omnibus in rebus minoris momenti illorum vestigiis insistere, & sequi opinionem probabilem.

SEXTÒ de Schismaticorum Episcoporum potestate & authoritate disseramus. Erat probabile ante mille annos ordinatos ab illis esse nulliter ordinatos; & huic opinioni tunc probabili insistentes Pontifices, non semel sed sæpe, non paucos sed multos reordinari iusserunt. Audire proderit P. Laurentium Brancatium *tom.3. de Sacrament.disp.16.art.12.§.2. num.256.pag.327.* dicentem [Stephanus IV. teste Baronio *tom.9.in ann.769.fol. mihi* 294. reordinari iussit omnes ordinatos à Constantino Papa Schismatico. Formosus ex eodem Baron. *anno* 891. iudicauit, ordinatos à Photio Patriarchâ Constantinopolitano Schismatico nulliter ordinatos, eosque nihil ab eo habuisse, quia ipse nihil habebat, & hoc idem fuerat dictum *in Concil.8.generali Constantin. IV.* & tamen à Ioanne VIII. & ordinati à Photio, & ipsemet Photius restituuntur absque nouâ ordinatione ex eodem, *anno* 879. imò à Formoso ipso per libellorum præsentationem & pœnitentiam, Photio adhærentes absque ordinatione nouâ in suis officiis sunt restituti. Et hoc non ex alio capite, nisi quia tunc inter Theologos & Canonistas erat controuersum, an Episcopatus esset ordo distinctus afferens characterem, & stante hoc dubio adhæserunt vni parti in facto. Idem prorsus putant dicendum de factis Stephani VI. (dicti septimi) & Ioannis IX. ille enim existimans Formosum fuisse intrusum, iudicauit, ordinatos ab eo esse reordinandos, eò quod ab illo nihil acceperint, ex Baron. *anno* 897. Idémque dixit Sergius III. & Ioannes IX. iudicauit esse ritè ordinatos ex *anno* 904. Et sic de aliis factis,] &c. Ergo, si in materiis controuersis,& nondum ab Ecclesiâ definitis possunt & solent summi Pontifices alterutri parti adhærere, etiam & nos poterimus; ea enim quæ Iuris Diuini & Decalogi sunt, æquè illos ac cæteros Christianos obstringunt.

148 *An Episcopi Schismatici validè conferant ordines?*

149 *An Episcop. residētia sit de Iure Diuino? An in illâ possit Pontifex dispensare?*

SEPTIMÒ oculos ad Episcoporum residentiam conuertamus. Variant Authores. Sunt multi, hisque doctissimi, qui illam dicant esse Iuris Diuini. Si non est licitum alterutri inhærere sententiæ peccarunt mortaliter omnes Patres in Tridentinâ Synodo cùm Episcopis tribus in anno mensibus abesse concesserunt: peccauit etiam summus Pontifex cùm Synodum sanctam confirmauit: & peccant communiter summi Pontifices, cùm ex causis congruis in residentiâ dispensant. Porrò, si residentia est de Iure Diuino, eædem rationes, quæ probant Episcopum suæ diœcesi indispensabiliter residere debere, æquè probabunt peccare Reges & Principes, quorum est denominare aut proponere, & Pontificem cuius est eligere & confirmare, si fortè hæreant, & in causâ sint, quod Diœcesis vero Episcopo careat.

150 *An beneficia dari debeant digniori?*

OCTAVO, ingrediamur in Datariam, in quâ hodie sub sanctissimo D. N. Eminentissimus Cardinalis Corradus cum summâ integritatis & æquitatis laude beneficia distribuit. At opinio probabilis docet illa deberi digniori, & tamen stante hodiernâ praxi, vt digniori semper, & non aliquando minùs dignis aliqua conferantur, faciat quidquid velit Datarius, impossibile est. Ergo claudatur Dataria, & cogitetur alius modus beneficia & dignitates conferendi, ne vel semel minùs dignum promoueri contingat.

Conclusio I.

STat igitur D. Fagnani doctrinam Sedi Apostolicæ esse iniuriam, & iniustè & temerè piissimas prudentissimásque summorum Pontificum actiones mortalis sceleris incriminari.

Conclus. II.

Stat etiam in materiâ morum ad securitatem conscientiæ sufficere opinionem probabilem, aut etiam minùs probabilem; quia, si hoc summis Pontificibus licuit, cur non licebit cæteris: æquè enim summus Pontifex ac homuncio gregarius tenetur obseruare Decalogum? Et hîc videntur opportunè adduci posse S. Benedicti hæc fortissima verba. *Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.*

Quæ

Quæ huic insistunt notissimo & certissimo Lemmati, *Principis exemplo totus componitur orbis.* Et per rationis identitatem reducuntur ad hæc, *Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Catholicus, nisi quod communis Orbis Christiani praxis, & summorum Pontificum cohortantur exempla.* At totius Orbis Christiani praxis supponit opinionem probabilem aut etiam minus probabilem ad conscientiæ securitatem sufficere; hoc ipsum approbant in praxi piissimi & prudentissimi summi Pontifices. Ergo, si velis habere Humilitatem vt octo; si velis in octauo Humilitatis gradu consistere, hanc in praxi debes opinionem tenere.

An liceat subditis suos Superiores imitari?

RESOLVTIO XII.

Eadem D. Fagnani doctrina accusat sceleris & nullitatis Bullam sanctissimi D. N. Alexandri VII. de immaculatâ sanctissima Virginis Conceptione, ad instantiam Regis Hispaniarum nuper editam. Ergo cùm hæc Bulla & D. Fagnani doctrina sint contradictoriæ: & ex D. Fagnano contra Alexandrum VII. sanctissimum Dominum nostrum formare argumenta non liceat, licebit saltem ex Bullâ hanc D. Fagnani doctrinam esse euidenter falsam ostendere. Argumentemur ergo sic. 151

An S. D. N Bulla doctrinam D. Fagnani condemnet?

Impossibile est duas doctrinas contradictorias esse simul veras.

Considaretur benè hæc ratio.

At sanctissimi D. N. Bulla, & D. Fagnani resolutiones sunt contradictoria.

Repugnat igitur, vt sint simul vera.

At Bulla non est dubiè, incertè aut probabiliter admittenda & tenenda; sed certò. Ergo D. Fagnani opinatio certò & euidenter est reijcienda, & proscribenda.

Maiorem probo. Bulla sanctissimi D. N. est in materiâ Fidei & morum. In materiâ Fidei; nam Paulus 1. *Corinth.* 15. c. 20. sic inquit. *Per hominem* (Adamum) *mors; & per hominem* (Christum) *resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur* (nota illud *omnes*) *ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et alibi: *Omnes peccauerunt in Adam*, &c. 152

An in materia fidei & morum hæc Bulla sit?

Quos

Quos locos attentè S. Augustinus *libro de Baptismo paruulorum* perpendens vniuersaliter loquitur, & ait, *Nemo nascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corruptione.* Sanè præscindendo à Theologiâ, si secundum crudam literam & meram Grammaticam iudicare deberemus, à propositione vniuersali à Paulo, Augustino, & veteribus Patribus assertâ, neminem exciperemus. Ergo diceremus, esse de fide Deiparam in peccato originali fuisse conceptam: neque contra obstaret in nullo Concilio hoc definitum fuisse: quia in nullo etiam Concilio definitum est terram quiescere, & tamen, quia hæc veritas habet pro se sacræ Paginæ testimonia, quæ videntur clara, Romanæ Inquisitionis Tribunal Galilæi doctrinam, quæ duplici terræ motui (annuo & diurno) insistit, condemnauit hæreseos. Ergo (& hoc iterum dico) præscindendo à Theologiâ hanc propositionem, *Virgo est sine labe concepta*, dicerent vniuersi Grammatici esse contra sacram Scripturam & Patres, adeóque hæreticam. His tamen non obstantibus sanctissimus D. N. hanc in Ecclesia & Schola, in pulpito & cathedra doceri permittit, & tantùm non iubet, nam oppositam doceri, propugnari, imò dici interdicit Et cur quæso? (& hîc D. Fagnanum optarem respondentem audire) Rogo iterum, cur sanctissimus noster Bullam hanc expediuit? Quia (1) Grammatica est fallax, & nisi ratione iuuetur, exorbitat: nam & præcipuæ hæreses natæ sunt à Grammatica. Quia (2) rationes graues contradicunt Grammaticæ: nam apud Theologos est opinio probabilis, quæ Deiparam à generali lege excipit. Ergo definitur in hac Bulla, in materia fidei ad sentiendum & loquendum sufficere opinionem probabilem.

An terra moueatur?

Quàm sit fallax Grammatica!

153

Hæc propositio simplex, Virgo est concepta sine peccato, *est probabilis. hæc autẽ modalis,* Piũ est sentire & asserere Virginẽ esse conceptam sine peccato, *est de fide.*

Prætereà interrogo, Qualis sit hæc Propositio, *Licitum est credere Deiparam esse conceptam sine peccato?* & etiam qualis hæc, *Non est licitum credere Deiparam esse conceptam sine peccato?* Theologi communiter respondent primam esse de fide, quia à summo illa Pontifice, Catholicæ Ecclesiæ Magistro, toti Ecclesiæ proponitur, & ab omnibus admitti & teneri præcipitur. Ergo & secunda erit Hæretica. Ergo certum est, quod in materia fidei ad securitatem conscientiæ sufficit opinio

opinio probabilis. Ergo D. Fagnani doctrina, si stare sinatur, Bullam sanctissimi D.N. in nihilum redigit, & accusat veritatem, quam Theologi asserimus esse de fide.

Transeamus ad mores, & ex eadem Bullâ demonstremus, esse euidenter falsam hanc D. Fagnani propositionem. *In materiâ morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis.* Attendite. 154

Inter mores & actus humanos nulli sublimiores & maiori dilgentiâ examinandi, & seueriori censurâ iudicandi, quàm qui cultum Diuinum respiciunt. Quæstio, quæ inquirit, An sex vnciæ, an verò octo in collatione sumi possint diebus ieiunij? non est, quæ debeat cum illis, quæ differunt de cultu diuino comparari. At, vt fundetur cultus Diuinus etiam contra Grammaticam & apparentem sensum sacræ Paginæ, sufficit opinio probabilis. Ergo in materiâ morum sufficit opinio probabilis. Dicit Paulus: *In Adam omnes moriuntur*: & tamen in Bulla conceditur, vt templa, & in ipsis Religiones & Confraternitates erigantur; indulgetur, vt missæ, Diuina Officia & conciones habeantur ad gloriam laudémque Dei præseruantis, & Virginis matris præseruatæ, cùm tamen fuisse reuerà præseruatam, non nisi probabile sit.

Cultus Dei ad mores spectat.

1. Cor. 15. cap. 20.

Progredior. Infra articulos fidei, nulla esse debent certiora, quàm quæ in Missa & Horis Canonicis leguntur, quàm quæ in sede veritatis (Ecclesiæ pulpito) docentur. At ibi docemur esse pium exhibere Deo cultum innixum opinioni probabili: & damnantur omnes, qui audeant dicere, peccare mortaliter habentes docentésque sententiam piam: & hoc totum, etsi Veteres, qui nimis crudè institerunt Grammaticæ, dixerint & scripserint, sibi videri verba Apostoli sumi debere vniuersaliter. Ergo aut de fide est, aut saltem præter fidei articulos nihil est certius, quàm quod in materiâ fidei & morum ad securitatem conscientiæ sufficiat opinio probabilis. 155

Quàm certa sit doctrina de probabilitate, quam D. Fagnan. impugnat.

Dilucido & confirmo hanc veritatem D. Fagnani Opinationem cum verbis Bullæ componendo. Attende. Doctrina D. Fagnani est hæc. *In materia fidei & morum non licet vti opinione probabili.* Subsumo. *Atqui Quæstio, quæ interrogat,* An Deipara in peccato concepta sit? *est in materia fidei* 156

D. Fagnani opinatio.

& morum, vt paulò ante probauimus. Infero. *Ergo in Quæstione de conceptione non licet insistere opinioni probabili.* Ergo tam Thomistæ, quàm Scotistæ peccant mortaliter: nam materia est grauis; &, si est peccaminosa, erit grauiter peccaminosa. Patet hæc vltima Consequentia; quia neutri habent demonstrationem, sed vtrique insistunt fundamento probabili. Et quidem, si Paulus nullum excipit dicens, *Omnes peccauisse in Adam*, Paulo contradicunt Scotistæ: si Deiparam ille excipit, Paulo contradicunt Thomistæ: & nunc quia, quo Apostolus sensu sit loquutus nescimus, neutra sententia est tuta: & quia D.Fagnano iubente haberi potest sola tuta; neutra tuta conscientia haberi potest. Sed quid ad hæc sanctissimus Dominus noster? Primò definit Patres Franciscanos, & quotquot cum ipsis piam opinionem propugnant, non peccare. Imò iubet ipsam solam doceri, propugnari, affirmari: &, si sine peccato doceri, propugnari aut defendi non posset, id non præciperet. Condemnat prætereà, non solùm has propositiones, *Impium & illicitum est credere Virginem sine labe esse conceptam*: & *Impium est festum & illicitus cultus immaculatæ conceptionis.* Sed etiam hanc *Dubium est, an peccent, qui piæ opinioni assentiuntur: dubium, an liceat festum instituere, & cultum exhibere Deiparæ quà sine peccato conceptæ.* Legatur tota Bulla, quia huc spectant pleraque omnia, quæ in ipsa ponuntur: & præcipuè hæc periodus. *Libros, in quibus præfata sententia, festum seu cultus secundum illam, in dubium reuocatur.* Damnat igitur sanctissimus D. noster, non solum illos, qui esse honestum & licitum sentire & colere immaculatam Deiparæ conceptionem negant: sed etiam illos, qui hoc ipsum in dubium vocant.

Componitur cum verbis Bullæ.

Non peccāt, qui cū Scoto sentiunt.

Peccāt, qui illos peccare dicunt.

Peccāt, qui dubitant an illi peccent?

[Et hîc obiter doceatur D. Fagnanus obiectum ab actu distinguere. Videat quantâ prouidentiâ hæc duo sanctissimus D. N. discernit. Huius actûs, *Virgo est concepta sine maculâ.* Obiectum incertum est: de illo opinari aut etiam dubitare quis potest. Fortè in Deiparæ conceptione peccatum fuit: veritatem nondum definiuit Ecclesia. At in actu formali, quo sentimus Deiparam esse sine labe conceptam culpa aut peccatum nullum est. Et de hoc incertitudo aut dubium nullum est:

Certitudinē de veritate obiecti cum certitudine de honestate assensus probabilis scitè distinguit S. D. N scitè Theologi: sed D. Fagnanus confundit.

est: & si qui hoc in dubium velint vocare, condemnantur in Bullâ. Errat igitur D. Fagnanus quoties miserabiliter honestatem obiecti cum actûs honestate confundit: de obiecto enim probabili disputatur: at verò, an actus probabilis, qui circa illud versatur, sit licitus, honestus, & bonus disputatur; nam de eius honestate certitudinem & euidentiam manifestam habemus.] Et hæc de alterâ probabilitatis parte: videlicet de opinione pia.

Sed quid de altera? Respondet sanctissimus Dominus noster. *Vetamus, Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet, Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen aut peccatum mortale incurrant, cùm à Romanâ Ecclesiâ & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum.* 157

Non peccãt qui cum Thomistis sentiunt. Peccant, qui dicunt Thomistas hoc sentiendo, peccare.

Ecce, sic sanctissimo Domino nostro resoluente, & toti Ecclesiæ proponente, in Quæstione quæ inquirit, *An Deipara sine labe concepta sit?* (quæ in materia fidei & morum est, vt dicebamus) duæ dantur opiniones probabiles, quas ipsas nemo existimat esse æquè probabiles: nam etiam in hoc possunt PP. Dominicani sentire quidquid velint: & nos piam sententiam esse hodie longè probabiliorem iudicamus. Quamdiu nihil iussit Apostolica Sedes, potuimus alterutram [etiam minùs probabilem] tenere & docere. Interdicit hodie Ecclesia, ne alteram doceamus: ergo vi huius præcepti possumus adhuc alterutram [hoc est, probabiliorem aut etiam minùs probabilem] licitè tenere, non autem alterutram licitè propugnare & docere: &, si cras interdicat, ne sentiamus alterutram, cras obedire debebimus.

Quomodo libertas, quã Probabilitas impertitur, Apostolico præcepto limitetur?

An minùs probabilem sententiam sequi possit

Et hîc desidero D. Fagnanum attentè legere prædictam Bullam, & mihi ad pauca hæc respondere. Sic discurro. 158

An hæc Bulla de fide sit

Quæ dicta à nobis sunt de Quæstione, quæ interrogat, An Deipara sine labe concepta sit? & de duarum opinionum oppositarum honestate, continentur in Bullâ.

Hæc Bulla proponitur toti Ecclesiæ credenda.

Quæ proponuntur toti Ecclesiæ credenda, sunt de fide.

Ergo, quæ dicta sunt à nobis de illâ Quæstione, sunt de fide.

Progredior. *Ergo, in quacumque Quæstione in materiâ fidei & morum eodem modo philosophandum est. Ergo in quacumque poterimus licitè alterutrum* [tam probabilius, quàm minùs probabile] *docere & sentire, quamdiu hoc Apostolica Sedes permittat. Ergo in quacumque poterimus alterutrum sentire, & tamen debebimus alterum tantùm docere & defendere, si fortè sic iubeat Ecclesia. Ergo in quâcumque debebimus alterum tantùm docere, propugnare & sentire, quando sic Ecclesia decernat.*

159 *Argumentũ ab identitate rationis, quàm sit efficaxt.* Discurro securissimè, nempe ab identitate, non autem à paritate rationis: quia summi Pontifices potuerunt facere, quæ fecerunt, non quia hæc Quæstio Deiparam concernit, sed quia in duas opiniones probabiles diuisa est: nam in Quæstione, quæ inquireret, *An Deipara nata sit ante Adamum?* non possent facere, quæ circa Conceptionem præstiterunt: & tamen hæc secunda Quæstio Deiparam concernet. Ergo sic Pontifices potuerunt definire, quia hoc in medullis & natura sua includit Quæstio, quæ in materia fidei & morum habeat duas opiniones probabiles.

Conclusio. Stat igitur Bullam esse de fide, & ex illa necessariò inferri hanc vniuersalem, *In materiâ fidei & morum, quando duæ dantur opiniones probabiles, sine hæresi, sine peccato possumus alterutram* [*probabiliorem, aut minus probabilem*] *sequi, quamdiu hoc permittat Apostolica Sedes.*



OBIECTIONES.

160 VIDIMVS D.Fagnani doctrinam à sanctissimo D.N. in Bulla clarè condemnari. Addo & condemnari etiam in ipsamet Bulla modum ipsum tradendi. Caret ratione D.Fagnanus, & iniurias liberalissimò cornu profundit, & totius Europæ Theologos defunctos viuósque, Viros Catholicissimos, qui Ecclesiæ Romanæ labore assiduo seruiuerũt, inter quos Diana, Pasqualigus, & alij oculorum vsum nimia lectione & scriptione perdiderunt, & singuli vitam ponere, &

& totum suum sanguinem pro Christo fundere fuerunt parati, *Nouatores* appellat; quo hodie vocabulo Orthodoxi scriptores Lutheranos & Caluinianos compellamus. Ita ille *num.* 43. & *num.* 41. esse dixerat *doctrinam de probabilitate latè propalatam in animarum pernitiem:* & *num.* 25. exclamauerat dicens *Abyssus abyssum inuocat*, & *num.* 23. vt se libros necessarios non legisse ostendat, *Hæc doctrina*, ait, *ex hoc solo redditur valde suspecta, quod sit noua*, &c. Examinemus igitur PRIMÒ, *An sit bona consequentia*, hæc doctrina est noua ergo est falsa? SECVNDÒ. *An doctrina de probabilitate sit noua?* TERTIÒ, *an sit in animarum pernitiem?* QVARTÒ, *An à centum annis Theologi conscientias relaxauerint?* Et quidem existimo, quatuor has quæstiones esse necessarias Lectoribus, qui euoluunt primum tomum D. Fagnani.

An Theologi sunt Nouatores. An conscientiis nocẽāt?

Succurrẽtes Quæstiones breuiter examinãda.

Respondetur ad primam.

ASsero consequentiam illam, *Hæc doctrina est noua, Ergo & falsa.* Esse malam: & hoc ipsum euidenter persuadeo. Hæc propositio *Non dantur Antipodes*, asseritur ab antiquis Patribus; & tam constanter ab Augustino, vt oppositam rideat: hæc autem *Dantur Antipodes anno* 1492. à Christophoro Columbo propugnata sub initium delirium visa, & tamen hodie ab omnibus asseritur, & est manifesta & indubia. Hæc etiam propositio, *Deipara est concepta sine labe peccati*, tempore S. Bernardi erat noua: tempore S. Thomæ nondum radices egerat, Scoti tempore incipit videri probabilis: & tamen hodie post tot Pontificum Bullas piè defenditur, & affirmant Theologi hanc Positionem *Impium est* (*Improbabile est*) *credere Deiparam fuisse in peccato conceptam*: esse hæreticam aut saltem erroneam in fide. 161

An dentur Antipodes?

Opiniones nouæ esse possũt vera.

PRæterea, quænam in Scholâ Positio, paucis exceptis, hodie est antiqua, quæ non fuerit aliquando noua? An ne illæ, quæ hodie cum applausu, aut etiam veneratione leguntur, & à senectute laudem habent, reiectæ à prudentibus sunt, quando erant nouæ? Illi etiam tum veritatem contemplati 162

Omnia antiqua, aliquãdo fuerunt noua.

sunt, & nouitatem non curarunt. Ex mediæ noctis tenebris ad meridianam lucem non per saltum, vt ajunt, aut ex extremo ad extremum, sed per gradus intermedios transitur. Aurora interest inter noctem diémque; cui initium crepusculinus Circulus, finem Horizon statuit. Sed neque illa duas habet partes homogeneas. Sub initium remississima est: adolescit: succrescit: eundóque intensior & lucidior redditur. Sic veritas. Ambulant infideles in tenebris: qui ex illis philosophati sunt, parum lucis sunt nacti, sub primo nati Auroræ Orthodoxæ crepusculo. Oritur Catholicis Sol ad Empyreum translatis: nam nobis lucerna (Sol) est Agnus, & in Cœlo illum intuitiuè videbimus, quem in terris in ænigmate per radios Fidei subobscuros, scientiarum suo modo refractos rimamur. Vt plerasque veritates (nam Fides paucas, & Demonstratio paucas exhibet) videamus, die caremus. Lumine vtitur obsignato [*signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*, inquit Propheta Rex. *Psalm.* 4.] lumine clauso, lumine Eoo, lumine Auroræ, inter noctem & diem; inter manifestam falsitatem, & manifestam veritatem medio, quod *Probabilitatem* appellamus. Hoc Veritatis lumen S. Ioanni in Apocalypsi suâ videtur ostendi, sub libri septem sigillis clausi specie. Quandiu nullum sigillum aperitur, ambulamus in tenebris, & veritatem penitùs ignoramus. Cùm septimum, aut Demonstratio naturalis, aut Fides Diuina in hac vitâ, aut in alterâ visio beatifica recludit, Veritatem infallibiliter assequimur, eximúrque omni errandi formidine. Quando autem aliqua reserantur, & aliqua non reserantur, tenebræ & luces in nostro intellectu confligunt, & per probabiles semitas conducimur ad veritatem. Non verò per æquè probabiles omnes: nam quibus plura sigilla aperta, habent maiorem aliis lucem; & ideò Veritatem probabiliùs rimantur. Lumen hoc, quousque septimum (vltimum) aperiatur sigillum, nouum est, crepusculinum est, probabile & incertum est; sed nouitatis aut probabilitatis nomine à nullo Viro docto despicitur; crescit eundo; & per illum ducimur ad diem, quo saltem per refractionem fruiscemur antequàm ad Horizontem (Finitorem) seu mortem perueniamus.

Aurora inter noctem & diem.

An homogenea sit?

Probabilitas inter ignorantiã & scientiã.

Liber Apocalypseos, septem sigillis clausus.

Probabilitas suos gradus habet.

Affirmat

Affirmat hæc, quæ diximus, Angelici præceptoris doctrina. Antiqua est, noua fuit: & sicut nec hodie quà antiqua, sed quà vera suspicitur: sic nec olim quà noua potuit, sed quà falsa contemni. At nunquam illa falsa euidenter fuit; nunquam igitur contemni potuit. 163 *De Thomistica Schola.*

Fuit sanè viuente D. Thoma noua. An ideò debuit reijci? Audiatur S. Antoninus 3. *part. Histor. titul.* 23. *c.* 7. §. 5. *fol.* 547. qui tantùm abest, vt esse *nouam* neget, & inde illam despiciat, vt potiùs illam *nouam* esse confiteatur apertè, illámque ab ipsâmet *nouitate* commendet. Est quoad fundamenta *noua*, quoad substantiam conclusionum *noua*, quoad modum tradendi & inferendi *noua*: & à *nouitate* probabilibus argumentis armatâ gloriam habet. Attende. *Tantam sibi Deus*, inquit ille, *gratiam in labiis eius effudit in doctrinâ, vt scholares in stuporem adduceret, & ad studium animaret. Erat enim in legendo*, nouos *Articulos adinueniens*, nouúmque *modum determinandi inueniens, &* nouas *producens in determinationibus rationes; vt nemo ipsum, audiens dubitaret, quin ipsum Deus* noui *luminis radiis illustrasset: ibi itaque claruit splendor diutiùs in eius animo occultatus, & mirati sunt vniuersi de his, quæ gloriosè & limpidè proferebat.* Et hæc S. Antonini verba, P. Petrus Alua & Astorga in libro, quem *Nodum indissolubilem de Conceptu mentis, & Conceptu ventris* inscripsit, videlicet *Nodo.* 15. §. 1. *pag.* 804. hoc Scholio dilucidat. *Obserua quantas* nouitates *inuenerit S. Thomas pro suâ doctrinâ.* Nouos *confecit Articulos*, nouum *excogitauit modum determinandi*, nouas *in determinationibus inuênit rationes; ita vt Deus ad* noua *dogmata* noui *luminis radiis ipsum illustrauerit & ipse limpidè tot* nouitates *proferret; & hoc, quod S. Antoninus laudat in doctrinâ S. Doctoris, condemnant moderni Thomistæ in aliis Doctoribus*: nouitates *in S. Thomâ laudantur, & extolluntur, vt vides, quando in aliis Doctoribus vituperantur & detestantur. Ac insuper pro viribus conantur stabilire in suâ doctrinâ nec minimam fuisse* nouitatem; *quomodo autem ista sint componenda, ipsi videant.* Progreditur S. Antoninus, & §. 10. sic inquit. *Cuius ingenij subtilitatem, intelligentiæ acumen, rectitudinem iudicij, euidenter ostendunt multitudo*

164 *An D. Thomæ doctrina fuerit noua?*

An à nouitate laudandus?

librorum

librorum, quos edidit, & sententiarum nouitas, *quas inuênit, sensúsque scripturarum absconditi, quos produxit in lucem.* Vnde Astorga. *Hoc reseruatum erat Angelico Doctori, vt suâ sententiarum* nouitate *patefaceret in Ecclesiâ* nouos *Articulos,* nouas *sententias,* nouas *veritates sacræ Scripturæ. Ex his occultatis omnibus antiquis Doctoribus, & patefactis soli Angelico Doctori, quærimus, An omnes nullâ demptâ inuenerit & produxerit in lucem; vel saltem reliquerit vnam, vt posteà produceretur in lucem à subtili ingenio Scoti, vel alterius Doctoris?* &c.

An sacram Paginã Doctor Angelicus nouis Expositionibus dilucidauerit?

165 Patet ergo ex S. Antonino PRIMÒ, *Non esse crimen, imò esse gloriosum nouas sententias probabiles inuenire in morum & Fidei materiâ.* Nota illud *probabiles*; hoc enim habet locum in Quæstionibus, quas nondum resoluit Ecclesia: vbi enim datur Apostolicæ Sedis Determinatio, repugnat opinio probabilis: nam sententia Theodori, v. gr. si Definitioni Ecclesiæ consonat, non est probabilis; imò, nec est opinio; sed veritas certa: si dissonat non est probabilis; imò, nec opinio, sed certa falsitas, &c, si cum pertinaciâ defendatur, hæresis. SECVNDÒ. *Vt noua hæ probabiles sententiæ inueniantur, Deum nouum infundendo lumen concurrere.* Patet; quia omne de sursum est. TERTIÒ, *S. Thomam habere apud Scholam à multis nouitatibus gloriam, illásque Deo concurrente inuenisse.* Est expressa S. Antonini, vt vidimus. QVARTÒ, *In materiâ Fidei (hoc est, sacræ Paginæ expositione) post sanctos Dionysium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Bernardum, &c. sufficere opinionem probabilem: adeóque licuisse S. Thomæ nouas Interpretationes edisserere, & in lucem producere.* Hoc sanè licitè & gloriosè S. Thomam præstitisse asserit S. Antoninus. At Deus non dispensauit cum S. Thomâ, vt ipse solus faceret, quod cæteris erat inhibitum: ergo non datur lex, quæ præcipiat, ne sacræ scripturæ locos, quos nondum Ecclesia definitiuè exposuit, si obscuri sint, Doctores Theologi possint probabiliter interpretari. QVINTÒ, *Vnici Authoris opinionem, si probabilibus ratiocinijs fulta sit, sufficere in materiâ fidei & morum ad securitatem conscientiæ.* Nam sub illud tempus S. Thomas vnicus & singularis fuit, &

An sit licitum nouas inuenire Opiniones?

An vnius Authoris Opinio sit probabilis?

& tamen laude digni, qui nouam, sed probabilissimam eius Ethicam; qui nouas, sed probabilissimas eiusdem sacræ Scripturæ Expositiones amplexi sunt. SEXTÒ. *Non esse in D.Thomâ exhaustam Dei omnipotentiam, nec luminis thesauros ita effusos, vt nullus radius manserit, quo Iuniores possint illuminari, & probabiliter exponere Bibliorum locos, aut Moratium controuersias resoluere, etiam D.Thomæ non quoad doctrinæ probabilitatem* (quis enim ita erit impudens, vt istam abneget? *Sed quoad veritatem aut probabilioritatem obsistendo.* Patet, quia non solùm Scoti, Ochami, & Molinæ probabilissimæ Scholæ contra D. Thomam argumentantur; sed & Durandus licèt Dominicanus, & Caietanus licèt eius Commentator, ab illo liberrimè recedunt, quærentes Veritatem, si aliunde alluceat.

An etiam hodie noua opiniones probabiles subnasci possint?

ERGO, *quod post Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Ambrosium, D.Thomæ; post D.Thomam Scoto, Ochamo, Durando, Cajetano, & aliis licuit, etiam hodie post omnes hos Ioanni Sancio, Thomæ Sanchez, Suario, Vasquezio, Dianæ, Mascurenhæ, &c. aut etiam Caramueli licebit.* *Conclusio.*

Respondetur ad secundam.

PRonuncio Naturæ Humanæ statum, & laudabilem probabilium opinionum vsum coætaneos esse. Ante lapsum Adamus, aliquorum sententia Angelorum ritu omnia cognoscebat exactè. At ego demonstraturus sum Adamum Euamque ante lapsum quando erant in statu innocentiæ, gratiis nobilissimis condecorati, inuincibiliter ignorasse nonnulla, & in ipsis rationibus grauibus hinc inde ductos materialiter errauisse, & in eisdem probabilis opinionis virtute à mortali excusari. Attende. 166

An in statu innocentiæ in paradiso, ante primorũ parẽtum peccatũ habuerint locũ Opiniones probabiles?

QVærunt Theologi, An Adamus in statu innocentiæ potuerit peccare venialiter? Asserunt cum Scholarchâ suo Scotistæ, negant Thomistæ. At Augustinus, non solùm venialiter ante lapsum Adamum potuisse peccare asserit, sed venialiter peccasse de facto. [Vide *libr. 3. de liber. arbitrio cap. 5.* 167

An cũ originali innocentiâ componi venialia peccata potuerint?

cap.5.& 11. & *in Enchirid. cap.105.* quem quoad hoc sequuntur Scotus *in 2.dist. 21.* & Gabriel *ibid. dist.22. quæst.1.art.3. dub.1.* Major & Basol. *ibid.* & Herrera *dis.21.*] vt probet hanc nostram conclusionem P. Franciscus à S. Augustino Macedo Franciscanus, *in D. Augustini mente, tract. Cortina, Thesi 26. pag.52.* sic inquit. *Huius* (Theseos) *Augustinus est Author,* &c. *cùm tradit, primum quod admisit* (Adamus) *mortale peccatum, superbia fuisse: ex quo sequitur, quidquid ante superbiam peccauit, veniale fuisse. At peccasse Augustinus disertè affirmat, imò & venialiter peccasse affirmat,* &c. ergò; quia res grauis momenti est, quæso non festinemus.

Primũ Ada & Eua peccatũ graue superbia fuit.

168 Profectò primum Euæ, & primum Adæ peccatum graue superbiam fuisse D. Augustinus statuit, doctus à sacrâ Paginâ: nam *Eccl.* 10. legimus, *Initium omnis peccati est superbia,* & rursus *Iob.*4. clarissimè *In ipsâ* (superbia) *initium sumpsit omnis perditio.* Porrò Eua priùs peccauit, quàm Adamus, & interim primum eius mortale peccatum superbiæ fuit. Augustinus *lib. 11. de Genes. ad liter. cap. 30. Quando crederet Mulier se esse prohibitum, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio?* Et iterum lib. 14. de Ciuit. cap. 13. agens de Adamo *Diabolus hominem non cæpisset, nisi iam ille sibi placere cæpisset. Hunc enim & delectauit, quod dictum est,* Eritis sicut Dij. *Quod meliùs esse possent, summo veróque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam.* Et tandem *lib. 11. de Genes. ad literam cap.31.* agens de vtróque. *Gratiâ deserente nudati, quam typho quodam & superbo amore suæ potestatis offenderant.* His præmissis peccatum Euæ examinemus priùs, & posteà Adami peccatum discutiemus.

Superbia omniũ peccatorum origo.

Eua peccatum primũ graue, superbia.

Adami etiam.

De Adamo & Euâ.

169 OMitto illorum errorem, qui Euam nonnisi venialiter peccasse putant, licèt illis fauere videatur Ambrosius, qui *lib de Parad.cap 14.* sic inquit. *Veniabilis culpa, quam sequitur professio* (fortè, *confessio*) *delictorum. Ideò non desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis sequuta sententia est.* Et habetur

An Eua comedẽdo pomũ peccauerit mortaliter?

cap.

cap. serpens 47. *de Pœnit. dist.* 1. nam ibi sanctus Mediolanensium Archiepiscopus si bene exponatur, huic errori non fauet; quoniam *Venialis peccati* nomine mortale intelligit: quod D. Ioannem Antonium ab Otalora *in illo erudito syntagmate* de Irregularitate ex pœnitentia publica proueniente, *part.* 1 *pag.* 5. pulchrè exponit: nam peccatum dupliciter considerari potest, intrinsecè & extrinsecè. In primâ consideratione diuiditur in mortale & veniale, hoc est in graue & leue. In secundâ mortale subdiuiditur iterum in veniale & mortale. Veniale hoc sensu est peccatum graue, quod pudor, dolor, Confessio & pœnitentia subsequuntur: nam veniam obtinet, non propter intrinseca merita, sed ob circumstantias subsequentes: [nam, si peccatum est, veniam non meretur, sed pœnam] quo sensu Adami crimen, quod omnium sententiâ graue fuit, & non Adamum modò, sed & nos omnes reddidit infœlices, in Cerei benedictione, quæ feria V. maioris hebdomadis concinitur *fœlix* Ecclesia nuncupat, quod propter illud Verbum æternum carnem sumens nos omnes fœlices reddiderit. Hoc eodem sensu Caíni peccatum, quod impœnitentia & desperatio comitabantur, non intrinsecè modò sed etiam extrinsecè mortale fuit. Potest iterum peccatum graue in veniale & mortale corporaliter & politicè diuidi: omni enim graui correspondet Mors Animæ, non autem omni mors corporea, nec enim in sacrâ Paginâ, nec in humanis Ecclesiasticorum aut Sæcularium Principum Tabulis omne crimen (peccatum graue) vltimâ sententiâ condemnatur: vnde Syluester *in summ. verb. Mors, num.* 1. sic inquit, *Ex eius* (S. Thomæ) *operibus dico sic. Pœna Mortis in præsenti* (vitâ) *non infligitur pro quolibet mortali, sed tantùm pro inferente damnum irreuocabile, vel pro habente horribilem deformitatem.* Et hic proderit radius, vt non paucos veterum locos intelligamus.

An & cur Mortale peccatum dicatur interdum Veniale?

D. Otalora laudatus.

Peccati diuisio.

An & quomodo peccatum sit fœlix?

Caíni crimē dupliciter mortale fuit.

Politica peccati diuisio.

An omne peccatum mortale pœnâ mortis expiandum sit?

170 Porrò notissimum Euæ peccatum intrinsecè consideratum graue fuit: sed quale? superbiæ. Deo illa ob superbiam obedire non voluit. At ante hoc alia minùs nota commisit: Ergo leuia. Rupertus *lib* 3. *in gen cap.* 2. clarissimè. *Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè perspe-*

Primū Euæ mortale ex superbiâ.

An priùs aliqua venialia commiserit? *ctans qualis extra paradisum mundus haberetur; & dum serpens dulcedini terræ propriùs & ambitiosiùs innititur, locus Diabolo datus est, & occasio porrecta, vt Euam tentaret.* Et Suarez *de Ope 6. dierum, libr.4. cap.2.* [per quæ verba satis significat, Euam culpâ suâ, & inordinatis actionibus tentationi occasionem præbuisse, ac perinde culpam aliquam priorem tentatione fuisse.]

171 *Cur vni Deus cõferat gratiã alteri non?* Præceptum erat, *Fructum huius arboris, ne comedunto: aliàs moriemini.* Rogat serpens, cur Deus id iusserit. *Cur præcipit*, inquit, *ne comedatis ex omni ligno Paradisi?* Respondere debuisset, *Quia voluit.* [Augustinus *de dono Perseuerantiæ cap.* 12. agens de auxiliis ait, *Hominibus* (Deus) *dat gratiam, quibus vult; non dat quibus non vult.* Ergò, quia est supremus & absolutus Dominus, præcipit quod vult, & quibus vult. Vnde ex eodem Augustino Pater Macedo, statim citandus, *pag.* 10. scitè ait. *Hic tota ratio est, Hoc volo*]. *Cur hoc præceptum imponat illud non?* Sed quid illa respondit? *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcipit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Iacobus Salianus hic [Addit (Eua) de suo, *Et non tangeremus illud.* Et rursum, dubiam facit pœnam, quæ simpliciter fuerat enunciata; quamquam septuaginta illud *fortè* non habent. Quæ dubitatio ex displicentiâ præcepti nascebatur; quæ enim displicent, facilè non credimus, aut reuocamus in dubium. Ergò mulier circa pomum hæsitat, ne ea (pœna) sit tantùm comminatoria, vt quæ culpam multum excedere videatur] sic ille.

Cur Eua dubitauerit de pœnâ præcepti?

172 *Rationum põdus iuxta diuersorum captum varium.* Hîc autem ego. Rationes esse fortes (hoc est, probabiles) non est quid absolutum, sed relatiuum. Quas alius graues, alius iudicat leues. Nam de Physicis prædeterminationibus, quas Thomistæ certissimas esse pronunciant, multa audimus & legimus apud alias Scholas, quæ varios esse sensus hominum euidenter ostendunt. Eua erat fœmina, & ideò imperfectione naturæ (mulier enim, etiam in statu innocentiæ, erat Viro imperfectior; hoc enim non est accidentale) vehementiùs agebatur affectibus.

Mulier est animal imperfectum. Arist.

173 Sanè sunt tres Propositiones naturales, quas Eua ignorare

non

non potuit. PRIMA. *Pœna est duplex: certa & comminatoria.* SESVNDA. *Modus* (mensura) *pœnæ debet esse ad modum* (mensuram) *delicti* [Vnde G. Pachymer. *hist. libr.* 3 doctè ait, *Magnorum delictorum magnas oportet esse pœnas.*] TERTIA. *Magnæ pro paruis culpis pœnæ, si à iusto Iudice imponantur, sunt comminatoriæ.* Nam ad terrorem pronunciantur, nunquam ad praxim reducuntur: essent enim iniustæ, si infligerentur de facto. *Præcognita, quæ in Euæ discursu supponebantur.*

His Eua Ideis præuenta potuit hoc conformare ratiocinium.

A. Pœna, quæ sit maior culpâ sub iusto Iudice, qualis est Deus, est comminatoria, & ad terrorem tantùm posita. *Euæ discursus.*

B. Inobedientiam esse peccatum fateor; & hanc, quam mihi serpens suadet esse graue, percipio: esse mortale intrinsecè & mortem animæ inferre, non nego: at illud illaturum esse damnum irreparabile; aut habere horribilem deformitatem; adeóque esse tantum, vt corporeâ etiam morte expiandum sit, non video.

C. Ergò Pœna corporeæ mortis, quæ hanc inobedientiam afficit, est comminatoria.

Et quidem hunc syllogismum esse in materiâ fidei & morum, nemo dubitare potest: explicat enim verba Dei, quæ eo sensu, quo à Deo dicta, de fide sunt; & concernit pœnam inobedientiæ impositam, quæ ad mores pertinet. Esse fortem negabit ille, qui Logicam & Ethicam nesciat. *An hæc ratio ad mores & fidem pertineat?*

Maior est manifesta. Illam supponit S. Benedictus in Regula. illam Iustinianus: illam omnes Ecclesiastici & Politici Gubernatores. 174

Probatur minor: quia hîc non agitur de morte animæ, sed de morte corporis: & etiamnum est difficile ostendere illud Euæ peccatum fuisse dignum morte corporeâ; nam hodie nullus auderet Princeps præcipere sub pœna capitis (lege videlicet non comminatoriâ, sed indispensabili & absoluta) ne quis pomum ex tali arbore legeret. Nam, si asserente D. Thomâ, Syluestro, & aliis, vt paulò antè videbamus, non omnis culpa grauis expiari debet pœnâ mortis corporeæ, sed illa tantùm, quæ infert damnum irreparabile, vel horribilem defor- *An omne peccatum mortale expiari debeat pœnâ mortis corporeæ.*

 mitatem

mitatem imbibit: potuit Eua, cùm loquebatur serpenti, & nondum volebat legem illam violare dicere. *Inobedientiam hanc meam, si admitteretur, fore in poli foro graue peccatum video, at illaturam damnum irreparabile, & habere horribilem deformitatem non video.*

175 *Pœna duplex certa & comminatoria. Vnde distingui & internosci possint? Eua, vt opinaretur pœnam mortis cõminatoriã esse, graniores rationes post lapsum habuit, quàm ante lapsũ.*

Consequentia, si minor admittatur, est bona. Nam apud omnes hæc: *Pœna est grauior culpâ. Ergò est comminatoria.* Est legitima ita Diana *part. 5. tract. 9. de excommunic. Resol. 21.* Ioannes Henriquez *in Compend. Cas. Moral. c. 20. n. 33. & seqq.* Vasquez 1. 2. q. 96. art. 4. n. 45. & alij.

Sanè illam mortis pœnam esse comminatoriam, ante esum pomi opinabatur Eua, vt vidimus, at post Esum in sua opinione confirmabatur; Vnde Salianus. *Illa, non solùm offerebat viro pomum, sed à mortis etiam metu iubebat esse securum, cùm eam, quæ comederat, videret esse superstitem.*

Hæc omnia consonant S. Bonauentura, qui *in 2. dist. 22. art. 1. quæst. 1 ad arg.* apud Suarium *de opere sex dierum libr. 4. cap. 2.* Huius verba subscribo. [Etiam addit (S. Bonauentura) potuisse Euam sine peccatò dubitare, non de veritate Dei, sed de sensu verborum eius, an, scilicet, intelligenda essent de morte corporali, vel spirituali? aut, an esset pœna simpliciter statuta, & infallibiliter exequenda, vel tantùm, quam Deus comminatus esset remissibiliter. Et idem in virtute probabilitatis respondet D. Thomas *in 2. d. 22. q. 1. art. 1. ad 1.* Vnde addere possumus, potuisse Euam dubitare, an verba illa, *In quacũnque die comederitis, morte moriemini,* dicta fuerint tanquam comminatoria pœnæ, vel solùm tanquàm significantia effectum ex manducatione illius cibi consequendum, qualis esse posset mors, si fructus illius arboris, ex naturâ suâ esset nociuus & humano corpori contrarius.] Hæc Suarius.

176 *An Eua dubitãdo de sensu verborum Dei peccauerit?*

177 His præmissis omnia que diximus ad assertiones paucas breuiter reducamus.

Verba Dei erant definitiua.

Dicit Deus. Si comedatis ex hâc arbore, morte moriemini: *assertiuè & definitiuè & non comminatoriè.* Constat id manifestè ex contextu.

Ad fidẽ & mores pertinebant.

Hæc verba pertinent ad fidem & mores. Id iam ostendimus.

Sensus

Sensus, quo illa Eua intellexit est materialiter hæreticus. De hoc nullum est dubium: nam illa non sunt tantùm comminatoria, & tamen Eua dicit esse tantùm comminatoria. Illa igitur in opposito sensu intellexit.

An sensus, quo illa Eua exponere voluit, fuerit hæreticus?

Actus, quo verba illa Eua exposuit, non fuit formaliter hæreticus. Et ostenditur; nam aliàs esset pecatum mortale, quod negat S. Bonauentura, S. Thomas, Pientissimus Suarius, & alij, vt paulò antè vidisti.

An actus formalis fuerit hæreticus? an peccatum?

178 Vnde ergò hæc materialis hæresis, ne fuerit formalis, & culpa in hâc lineâ grauis obtinuit? Non ab euidentiâ & certitudine. Eua enim non habuit rationes euidentes certas & indubitatas de sensu illo, quem verbis Diuinis affinxit: erat enim falsus, & verbis Diuinis oppositus, & falsitas nunquam potest ratione euidenti probari. Prætereà (ne huc recurrat aliquis) nec euidentes illa se putauit habere; nam aliàs non apposuisset illud *fortè*. Non habuit dubias leuésque; nam hæ ab hæresi formali neminem liberant. Ergò superest, vt ideò non fuisse hæretica formalis, nec in infidelitatis lineâ grauiter peccasse dicenda sit, quòd graui adeóque probabili ratione mota errauerit, verba Dei quæ in sensu assertiuo erant dicta, in sensu comminatorio, qui vero & tenendo de fide contradictorius est, intelligendo. Euæ igitur in Fidei & morum materiâ ad securitatem conscientiæ (hoc est, ne in hæreseos & infidelitatis lineâ formaliter peccaret) sufficiens fuit opinio probabilis, tametsi materialiter falsa. Ergo & nobis etiam hodie sufficiet. Peccauit autem illa posteâ mortaliter, nolendo ex superbiâ obedire Creatori; peccauit pomum comedendo. Sic nos Augustinus edocuit. Non autem testibus S. Bonauentura, S. Thomâ, P. Suarezio, & aliis, definitiua verba Dei in sensu comminotorio, hoc est, aduerso probabiliter interpretando.

Cur neutrũ fuerit? Non ab euidentiâ, sed à probabilitate. Propositio falsa demõstrari non potest. Eua nõ putauit se rationẽ euidẽtem habere. Rationes leues non excusant. In quo Eua peccauerit grauiter?

179 EVæ lapsum actúsque eum præcedentes considerauimus: ex hoc lapsu resultauit, vt Adamus illi condescendendo, conciderit: ergò ad Adamum oculos conuertamus.

De peccato Ada.

Primum huius peccatum fuit, nimius aduersus Euam amor: at amare non est superbire, & ante superbiæ actum ille non peccauit.

Amando sponsã nimis peccauit venialiter.

peccauit mortaliter. Ergo hîc amoris imprudentis excessus, fuit peccatum veniale. Augustinus *libr.* 11. *de Genesi ad literam cap.* 22. verbis clarissimis. *Noluit* (Adamus) *eam* (Euam) *contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo.*

180 *Obiectio cõtra doctrinã Augustini.*

Hoc posito sic contra Augustinum argumentemur. Adamus nimis amando sponsam suam, peccauit mortaliter. Negat ille. Probamus. *Qui amat periculum peribit in illo.* Asserit sacra Pagina, & hanc Assertionem veram esse negare Augustinus non potest. Ergò ex illâ hunc syllogismum conformemus. *Hic amoris excessus futurus erat causa perditionis Adami, At illum amorem non compescuit. Ergò in illo suam perditionem lapsum & excidium amauit, vt in causâ. Ergò in illo inordinato amore Adamus peccauit mortaliter.* Et quid ad hæc Pater sanctissimus.

Rem malã amare in causâ peccatum est.

181 *Cur peccauerit Adã*

Respondet concedendo maiorem, *libr.* 14. *de Ciuit.* sic inquit. *Adam sciens & volens peccauit, ne vxori displiceret.* Consonat sibi *libr.* 12. *de Genesi ad literam cap.* 42. dicens, *Non carnis victum concupiscentiâ, quam nondum senserat; sed amicabili beneuolentiâ* (nimia prorsus, & prudentiæ limites exsuperante) *deliquisse.* Lege *Comment. in Psalm.* 83. *de Adamo non seducto.* In hac enim sententia constans est Augustinus: vnde Iacobus Salianus. *Quid multa? Tulit* (*Eua*) *de illius fructu, & comedit, vnóque facto multiplex peccatum admisit: in quibus peccatum scandali luctuosum fuit, cùm viro suo lapis offensionis facta est. Dedit enim viro suo; qui ne eam contristaret, comêdit, & grauissimi peccati factus est reus, vt accuratè docet Augustinus, vsus comparatione Salomonis, qui Idola veneratus est, ne suas, quas deperibat, delitias* (Amasias) *contristaret.*

Quã graue Eua peccatum fuerit?

182 *An Adamus ruinã suam ex illo amoris excessu orituram, præuiderit?*

Et quid ad minorem respondet? *At illum amorem non compescuit*, distinguit. Illum non compescuit, præuidendo certò periculum & ruinam ex illo aborturam. Negat. Opinando probabiliter illum eundem amorem non esse grauiter periculosum, concedit.

Et quid ad consequentias? Hæc minoris præcedentis distinctio vt neget vtrámque requirit.

Et

Et tu meritò postulas, vt Minoris distinctionem ab Augustino tradi ostendam. Obedio. Sanè periculi quantitatem experientia metitur. Suarius *libr. de Charitat. disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 8. prudentissimè *Periculum est*, inquit, *in determinatâ materiâ, in quâ aliquis fragilem se expertus est.* Consonant Thomas Sanchez, Ioan. Sancius, Salas, Emanuël Sà, Ferrantinus: & alij, quos *in Theolog. Fundamentali num.* 499. allègo. Hi autem non solùm experientiam propriam, sed & alienam in examen adducunt: nam, si Petrus tibi similis cecidit, temerè te periculo expones. His præmissis Audiamus Augustinum. Super illud Pauli, *Adam non est seductus.* sic inquit. 183

Periculi certitudo & quantitas sumitur ab experiẽtiâ.

Tam alienâ quàm propriâ.

Quomodo erit verum, Adam non est seductus? *Sed inexpertus Diuinæ securitatis in eo falli potuit, vt veniale crederet esse commissum.* 184

Ecce Adamus (erat enim prudentissimus & perspicacissimus) sciebat se sponsam cum excessu amare: ex hoc eodem excessu aliqua inconuenientia aboritura præuidebat: at omnibus rebus perpensis & consideratis iudicauit hunc illicitum amoris excessum non excedere materiam peccati venialis, & tamen deceptus est, quia ille suæ perditionis fuit causa, & erat reuera grauis ratione periculi: at hoc non præuidit Adamus experientiæ defectu. Stat igitur Adamum non compescendo illum excessiuum amorem, qui reuerà erat malus grauiter, quia ipse iudicauit esse malum leuiter, peccauisse venialiter. At Adamus illum amorem esse malum leuiter, non cognouit euidenter & certò, nam vt fatetur Augustinus deceptus fuit, & homo in his quæ certò & euidenter cognoscit, nunquam fallitur. Sed neque certò sciuit esse malum grauiter, aliàs enim peccauisset mortaliter. Ergò malum, quod re vera erat graue, probabiliter iudicauit esse leue, & ideò peccauit venialiter. Ergo etiam hodie, qui faciat illud quod materialiter est peccatum mortale, si probabilibus rationibus ductus, esse veniale putet, committet peccatum quod formaliter & quoad Deum non nisi veniale sit. Ergò etiam hodie, qui faciat illud, quod materialiter est culpa lethalis, si tamen probabiliter iudicet esse nullum peccatum, nullum committit peccatum Quid si esse rem bonam & meritoriam? si aliàs in gratiâ sit, merebitur

Adamus periculum graue, leue esse censuit.

Adamus secutus est opinionem probabilem.

Qui cõmittit rẽ grauiter malã, si probabiliter iudicet esse malam leuiter, peccat venialiter.

Et si probabiliter censeat nullum esse peccatũ, nullum committit.

Et si probabiliter esse bonã putet, merebitur.

& coronabitur à Deo. Consequentiarum istarum ratio est, quia Adamus fuit homo sicut nos quoad naturam, excellentior quoad gratiam. Deus est ipsissimus. Ergo, si ille sapentior & fortior opinionis probabilis gratiâ à mortali excusatur in materia grauiter mala, quam leuiter malam putabat; etiam nos excusabimur. Nam *Quidquid faciant homines, intentio iudicat omnes.*

185 *Mundo est coatanea Probabilitatis securitas. Müdi ætas. 4052 1662 ——— 5714*

Acciderunt hi casus, in quibus Euam Adamúmque à peccato mortali probabilis excusauit Opinio, post eorum creationem paucis horis. Est igitur coætanea Mundo doctrina de probabilitate. Sanè natus est Christus iuxta Saliani computum anno Mundi 4052. quibus, si Christi ætatem (videlicet, annos 1662.) addideris, habebis 5714. annos. Et quâ igitur sinceritate. D. Fagnanus, qui tam annosam doctrinam propugnant, *Nouatores* appellat?

Certa & indubitata supponebãt antiqui, non autem ad cõtrouersias reuocabant.

Sed ait ille. Hanc quæstionem veteribus non esse notam, quia à veteribus nunquam fuit mota. Sed insto. Est-ne quæso veritas certior hac, *Qui currit, mouetur?* Non dabit mihi D. Fagnanus vel vnum Authorem antiquum, qui in terminis examinet, *An, qui currit, moueatur*? Et cur non dabit? Quia manifesta supponuntur, & in dubium minimè reuocantur. Cæterum apud veteres nusquam dabit D. Fagnanus in terminis hanc propositionem. *In materiâ Fidei & morum ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis.* Quid igitur vociferatur?

186 *Instãtia pro D. Fagnan. Non esse ad rem.*

At dicet, neque oppositam nos daturos esse. Respondeo, hoc nec esse verum, nec ad rem. Porrò non est ad rem, quia si nostra ideò non est vera sententia, quia apud veteres in terminis non reperitur; nec sua, quæ nostræ opponitur, erit vera; nec enim illa in terminis apud antiquos inuenitur. Vnde si D. Fagnani admittatur exorbitans & noua dialectica habebimus duas contradictorias simul falsas. Et quis hoc toleret?

187 *Non esse veram.*

Instantiam D. Fagnani non esse ad rem vidisti, non esse veram euidenter persuadeo. Nam nostra doctrina, quam ille frustra esse nouam affirmat, in ipso Paradiso ante lapsum Adami indubitata fuit: & iuxta illam, teste Augustino, vt vidimus, Adamus iudicatus est.

Omnia

OMnia, quæ de Adamo, Euâ, & probabilium opinionum vsu in Paradiso dicta certiorem habent locum in nobis. Et hoc clarissimè demonstraturus sum. 188

Peccauit primus Homo (ô quàm multa vno verbo dicuntur!) & inter alias peccati pœnas, multarum rerum ignorantias insuperabiles incurrit; quarum sumus hæredes *Enchiridij capite* 24. Augustinus. *Nolentibus subintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum; quibus comites subinferuntur error & dolor.* Idem tradit S. Doctor *libr.* 3. *de liber. arbitr. cap.* 18. 19. *&* 20. & *lib. de natur. & grat. cap.* 40. cui consonant D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 23. *quæst.* 2. Durandus *ibid. quæst.* 3. Suarez *lib.* 3. *de opere sex dierum cap.* 10. & *tom.* 1. *de grat. prol.* 4. & alij. Hinc est quod veritatem fuerint Adami filij ante & post vniuersalem cataclysmum per cancellos rimati. Cùm ergò sub Deo iusto homines non habeant obligationem, aut supra mentis vires intelligendi, aut supra corporis vires operandi, præceptis Diuinis satisfacient si illa humano modo intelligant, & humano modo exsequantur: si enim voluisset Deus, vt more Angelico procederemus, nobis mentes & vires indidisset Angelicas. Caietanus *in summ. verb. Opinio.* doctissimè & opportunissimè. *Non exigit Deus ab homine plusquàm conditio hominis habet.* Sed à suâ conditione & naturâ habet homo quod possit operari humanitùs; non ergo præcipit illi Deus, vt operetur, non humanitùs, sed Angelitùs.

Si Adamus licitè vti potuit probabilitate sententiarũ: etiam nos possumus: plura enim ignoramus quàm ille.

Multa ignorãtia peccatum originale comitantur.

VErè doctrina de probabilitate, cum primis hominibus nata, non mansit in Paradiso; exiuit illinc cum Adamo, & ad posteros transiit. Non periit naufragio in diluuio; sed à Noacho in Caldæam translata, post labij confusionem, per totum fuit orbem diffusa. Multa possem ad huius veritatis probationem producere, sed ero paucis locis contentus, vt huius doctrinæ nunquam interruptam successionem ostendam. 189

Doctrinam de Probabilitate Adamus posteris suis communicauit.

SVCCVRRIT PRIMÒ. Caput 12. Geneseos, in quo Abraham Ægyptum init, & Saræ vxori, præcipit, vt suam esse sororem affirmet. Erat pulchra, Ægyptiis perplacet: rapitur: 190

Abraham in Ægyptum ingreditur.

Sara traditur regi. Pharao Regiæ dignitatis nomen est. Melchisedecho, Pharaoni tunc regionis, traditur. Hîc illâ vti vult; impeditur diuinitùs, vel morbo vel dolore subitaneo, vt Veteres Patres affirmant. Interim Abimelechus non peccauit, illi enim Deus, *Et ego sciebam*, inquit, *quia corde mundo fecisti hoc.* *An Rex peccauerit?* Vel, si peccauit, vt contra Iulianum asserit Augustinus, non peccauit in Adulterij lineâ, sed in illa, in *An, & cur coniuges in vsu matrimonij peccare soleant* qua apud eundem Augustinum exorbitare solent coniuges, *quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciuiendi voluptate exsaturandæ libidini inseruiunt.* Hanc enim sententiam mordicus tenet S. Doctor, & præcipuè *libr.* 1. *de nuptiis & concupisc. cap.* 4. *&* 15. *&* 24. & iterum *lib.* 2. *contra Iulianum cap.* 10. *& libr.* 3. *cap.* 16. *& lib.* 4. *cap.* 3. & rursus *lib. de bono coniug. cap.* 10. & tandem *in Enchirid. ad Laurent. cap.* 78. si enim peccauisset mortaliter, & esset corde adulter, quomodo audiret à Deo, *Ego sciebam, quia corde mundo fecisti hoc?* Nunc ego.

191 *Regem probabilitas dictaminis à peccato excusat.* Melchisedech non sciuit certò & euidenter Saram esse solutam (de hoc enim quis dubitet?) ergò sciuit probabiliter tantùm. Eius notitia erat de re, quæ poterat aliter se habere: imò aliter se habebat de facto. Interrogauit. Ergo, vt resciret veritatem fecit, quod potuit: ergo, & quod debuit. Dicunt Abrahamus & Sara se esse fratres: ergo prudenter Pharao credidit. Mentiuntur illi, aut æquiuocatione vtuntur, nam cognati etiam apud Hebræos vocantur fratres, & ipsi erant cognati. Sed quid ad regem hoc, qui non habebat rationem certam & euidentem, ob quam illos iudicaret se fallere. Ergò habuit dictamen probabile, sacrámque esse solutam pruden-*Vox Fratres an cognatos significet? An Restrictiones mentales, an æquiuocationes aliquem excusent à mendacio?* ter credidit. [Et hîc obiter nota Restrictiones purè mentales nunquam, Æquiuocationes rarò à mendacio hominem excusare: nam particulæ & circunstantiæ adiacentes consignificant, & consignificando auferunt æquiuocationem. Dicunt illi se non esse coniuges: suadent, quia sunt fratres. Ergo de fraternitate primi gradûs agebant, cum quâ matrimonium non consisteret: nam frustra ad fraternitatem v. gr. tertij aut quarti gradûs recurrerent, vt se non esse coniuges persuaderent. Sed de hoc vberiùs alibi.]

Ergò

Ergò qui facit illud, quod reuerà est adulterium & peccatum, vt vt materialiter peccet, (hoc est faciat rem interdictam) si probabiliter putet non esse adulterium nec peccatum (puta, si quis tangat vxorem alienam inuincibiliter putans esse suam) eli iet actum formaliter bonum & honestum, de quo dicat Deus, *Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.* Quid clarius? An maiorem & veraciorem testem ipso Deo requiret D. Fagnanus. 192 *Conclusio.* *Opinionum probabilium vsū ipsimet Deus approbat.*

Natus est Abraham anno Mundi 2039. ante Christum 2014. & in Ægyptum ingreditur anno Mundi 2115. ante Christum 1938. Ergo omittendo antiquiores historias quas possemus adducere, si studium adhibere vellemus, hæc Positio, *Ad conscientiæ securitatem sufficit opinio probabilis.* Erat in veritatis ratâ & indubitatâ possessione ante 3600. annos nec tunc habuit initium, sed erat in possessione antiquî & immemorabili: &, vt ostendi, ab ipsomet mundi exordio deductâ. Errat igitur D. Fagnatus, cùm huic possessioni vix annos centum antiquitatis concedit. 193 *Quo tempore floruerit Abrahamus?* *Quam sit antiqua cōmunis Theologorum sententia?*

SVCCVRRIT SECVNDÒ Caput 27. Geneseos in quo Isaacus filio suo benedictionem impendit. Sed cui? Primogenito volebat, & debebat. Historia est vniuersis nota: circumstantias necessarias expendam. [Iusserat Isaacus Esaüo primogenito suo, vt venaretur, & cibos sibi præpararet, veniretque vt acciperet benedictionem. Audiit Rebecca, & præparatis aliis cibis præmisit Iacobum, vt præriperet benedictionem. Incepit dubitare Isaacus, vtrùm deciperetur. Rationes dubitandi erant graues: prima nimia festinatio: secunda vox, quæ Iacobum prodebat. Audi sacrum textum. *Quibus* (cibis) *illatis dixit* (Iacob) *Pater mi. At ille respondit: audio Quis es tu fili mi? Dixítque Iacob Ego sum primogenitus tuus Esaü: feci tibi, sicut præcepisti mihi. Surge sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursúmque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam. Dixítque Isaac: Accede ad me, vt tangam te fili mi, & probem* (periculiter, examinem, cognoscam 194 *Isaacus in materia Iustitiæ vsus est opinione minùs probabili.*

cam) *vtrùm sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad Patrem: & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem Vox Iacob est; sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognouit eum, quia pilosa manus similitudinem maioris* (Primogeniti Esaü) *expresserant: Benedixit ergo illi, &c.* Et hîc ego à D. Fagnano interrogo An Isaac operatus fuerit, insistens cognitioni certæ: an opinioni probabili? Rogo iterum, an inhæserit probabiliori, an-non potiùs contentus fuerit minùs probabili? Porrò habebat Isaacus hinc inde rationes; illas haustas ab aure, istas haustas à tactu; & tametsi auris tactu sit tutior, ille tactui sensui minùs securo credidit. At à sacrâ Paginâ non reprehenditur. Ergò in re grauissima, tuta conscientia sequutus est opinionem minùs probabilem. At Isaacus ante millenos annos fuit. [Salianus hanc benedictionem accenset anno mundi 2276. Isaaci 138. Iacobi 78. ante Christum 1777. accidit igitur à 3439. annis.] Ergo est antiquissimus vsus dictaminis, & sententiæ probabilis.

Auris est tactu tutior.

1777.
1662.
3439

195 SVCCVRRIT TERTIÒ Machabæorum Historia tanta enim obseruantiâ colebant diem Sabbathi Iudæi, vt mallent occidi, quàm se die festo armis defendere. Ergo erat sententia apud illos Vniuersalis die festo conflictum iniri non posse. Vide *lib.2. Mach.cap.15.* Et quidem extra casum necessitatis non licere conflictum inire die festo etiamnum docent, Suarius *tom.2. de Relig. lib.2. cap.18.* Fagundez *lib.1. cap.11. num.2.* Palaus *part.2. tract.3. disp.2. punct.5. num.11.* Victorellus *in Additionibus ad Toletum, lib.4. cap.25. verb. Regere militiam.* Gordonus *libr.6. Theolog. Moral. quæst.7. cap.6.* Bassæus *verb. Festum 2. num.3.* Filliucius *tractatu 27. n. 175.* Trullench *lib.3. in Decal. cap.1. dub. 8. num. 9.* aliíque multi, qui affirmant pugnare festo die, nisi excuset necessitas esse mortale. Esse illicitum, sed tantùm veniale, docent Caietanus *2.2. quæst.40 art.4.* & *in summâ verb. Bellum, vers. Bellum exercere* Bañez *2.2. quæst.40. art.4. dub.4. num.4.* Valentia *tom 3. disp.3 quæst.16. punct.5.* Sà *verb. Bellum num.75.* (cito editionem priorem, nam posteà videtur sententiam mutasse) Rodriguez *in summâ part.1. cap.126. num.10.* Armilla *verb. Bellum*

An liceat conflictum inire die festo.

Nota illud nam.

Bellum num. 7. Angelus *eodem verb. num.* 18. quorum sententiam probabilem iudicat Leander *part.* 3. *tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 11. §. *Sed nihilominùs*: nam oppositam vocat probabiliorem.

Porrò Nicanor, vbi cognouit Iudam & Machabæorum exercitum esse apud Samariam, vt securiùs illos delere posset, decreuit inuadere die Sabbathi. Dissuadebant & incriminabantur decretum id Iudei: qui coacti assistebant Nicanori: at ille se inermes & imbelles inuasurum supponens, Hebræos aggressus est. Iudas suis militibus proposuit singularem & nouam sententiam in materiâ fidei & morum (nam interpretatio tertij præcepti Decalogi ad fidem & mores pertinebat) & rationibus optimis persuasit illis, vt pugnarent die Sabbathi. Acquieuerunt Iudæi: se opposuerunt hostibus, occisóque Nicanore & eius exercitu deleto, Victoriam nobilissimam adepti sunt. Ergò possumus tutâ Conscientiâ sequi vnius viri probi & prudentis sententiam, etiamsi singularis sit; si illam ratiotionibus grauibus & fortibus (hoc est probabilibus) suadeat. 196

Iudæi confligunt die festo adhærendo opinioni nouæ & singulari.

Ergo cùm Abraham, Isaac, & Iudas Machabæus antiquissimi sint, & ante Christum Dominum floruerint, fallitur D. Fagnanus, cùm asserit à paucis annis introductum vsum probabilium sententiarum. 197

TRANSEAMVS ad Christianos, & videamus, an primitiua Ecclesia habuerit & cognouerit Opiniones probabiles? Negauit Libertus Fromondus: negarunt omnes Iansenistæ: negat hodie D. Fagnanus: sed Theologi vniuersi affirmamus. Vt hoc suaderem, Ego olim *in Theologiâ Regulari disp.* 6. *art* 3. *num.* 60. ad S. Dionysium Areopagitam recurrens egi de conuersione aquæ in calice, an prius in vinum quàm in Christi sanguinem transeat? Quidquid enim Dionysius diceret, non nisi probabiliter diceret. Modò, ne eadem iterum repetam, ad S. Petrum conuerto oculos, & interrogo quomodo intelligantur illa Apostoli verba, *Restiti in faciem quoniam reprehensibilis erat?* Variant Expositores, & ego ex Cornelio à Lapide, qui antiquos celebriores consuluit, hæc pauca exscribo. 198

Etiam in Primitiua Ecclesia, & Apostolorũ tempore fuerunt Opiniones probabiles.

199 *Vt Theophylactus, & Oecumenius* (docent) *reprehensus erat Petrus ab aliis Apostolis, quod cum Cornelio Gentili sumpsisset cibum Cæsareæ. Hinc veritus, ne rursum ab eis, aliisve Iudæis reprehenderetur, subduxit se à Gentium mensis & conuersatione.* Ecce Petrum & Apostolos cæteros in materiâ morum, quæ etiam ad fidem potest reduci, dissentientes: Veritas erat à Petro, quoad Visitationem Cornelij: ergo cùm non dentur duæ contradictoriæ simul veræ: & Apostoli in gratiâ confirmati, mortaliter peccasse dicendi non sint, certum est illos Zelo & opinione probabili ductos monuisse aut etiam reprehendisse Petrum. Sed etiam in aliis rebus nimis Iudæis conniuendo, errauit Petrus, non vt caput Ecclesiæ se bene fecisse definiendo; At vt homo particularis: Vnde se errauisse confitendo, in faciem reprehendi desiderauit. *Hoc tamen peccatum Petri*, ait Cornelius à Lapide, *leue fuit & veniale, aut materiale tantùm ex inconsideratione nimirùm vel defectu luminis & prudentiæ; putabat enim bona fide Petrus se Iudæorum, quorum præcipuè hactenus fuerat Doctor & Apostolus, offensionem cauere debere potiùs, quàm gentium, & Gentes id ipsum scire, aut facile cogitare posse. Sed in hac suâ opinione errauit Petrus: licèt enim, ait D. Thomas, Spiritus sanctus in Apostolos descendens in Pentecoste, eos deinceps confirmauerit in prudentiâ & gratiâ, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen vt omnia venialia effugerent.* Ecce doctissimus P. Cornelius à Lapide errauisse Petrum affirmat, & duobus modis hunc Errorem componit cum gratiæ inamissibilitate die Pentecostes susceptâ: nam vel fuit error formalis leuis, aut materialis grauis. Primum, dici non potest, quia materia erat grauis, & non fiunt ex inconsideratione, quæ sæpè & contradicentibus cæteris fiunt; ergo superest, vt dicatur secundum: videlicet Petrum peccasse purè materialiter *defectu luminis*, non enim hîc veritatem intuebatur euidenti notitiâ, nec de illâ erat instructus diuinâ aliquâ reuelatione, *sed putabat bonâ fide*, hoc est, rationibus grauibus & probabilibus ductus, se bene facere.

Petrus non solù à Paulo, sed & ab aliis etiam Apostolis reprehensus fuit.

An errauerit & peccauerit Petrus? An confirmati in gratiâ possint peccare venialiter. An materia grauis admittat peccata venialia, An quæ sæpe fiũt ex inaduertentia fiant? Petri peccatum fuit purè materiale: nam suum fuit probabile dictamen sequutus.

200 Ergo sicut Petrum in grauissima materia, quæ mores & fidem concernit, bona fides & probabile dictamen à mortali, aut

aut etiam à veniali excusauit, ita & poterit excusare nos, si probabilem opinionem sequamur.

Hanc doctrinam, vt existimo Canonicam fecit Apostolus, *quod non est ex fide, peccatum est.* Sanè Cornelius Iansenius & ante illum Michaël Bayus Catholici; Martinus Lutherus, & Ioannes Caluinus, Hæresiarchæ: *Fidei* nomine fidem supernaturalem intelligentes, intulerunt. *Ergo omnia infidelium opera sunt peccata, & omnes virtutes Ethnicorum sunt vitia.* Quod meritò Apostolica Sedes condemnat. Non errarunt hi homines in Logica; nam, si Paulus exponitur, vt volunt, non male infertur quod delirant. At errarunt, vt solent Heterodoxi, in Grammatica, Paulum non bene interpretando: ibi enim *Fides*, non sumitur pro fide Theologica, sed pro bona fide & sincero dictamine: ac si dicat, *Quod non fit ex fide,* (bona fide; sincero dictamine: certo quando quis habet certam veritatis notitiam, probabili, quando defectu luminis laborat ignorantia inuincibili, & solùm probabili ratione ducitur) *peccatum est.* Vnde *num.* 14. subiungit. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil* (de cibis agit) *commune per ipsum, nisi ei qui existimat* (credit opinatur, dictamine suo ductus sentit) *quid commune esse, illi commune est.* Vide meum in libellum S.Bernardi in præcepto Scholium *num.* 365. vbi id vberiùs dilucido & expendo. Interim hanc propositionem, *Quod non fit ex fide Theologicâ, sed ex infidelitate, quâ quis vinci-biliter præpeditur peccatum est*, esse veram, si debito modo exponatur, non dubito: assumitur enim à multis Patribus & Doctoribus, primarium & literalem Pauli sensum esse illum, quem dedi, nescire nemo poterit, qui textum legat; agit enim de ægroto qui bona fide credit se hos vel illos cibos edere posse, istos non posse: hoc autem, non credit fide Theologica, sed dictamine probabili, ab experientia sola sumpto.

Ad Rom. 4. vers. 1. Quid hic Apostolus intelligat nomine fidei?

An omnia Infidelium opera peccata sint.

Quæ contra dictamen fiunt peccata sunt.

Etiam quæ infidelitate voluntaria.

Ex experientia probabilitas soler subnasci.

201 Ecce Apostolorum tempore, imò apud ipsos Apostolos in materia fidei & morum, vtramque contradictionis partem probabilitas reddidit licitam honestámque; dissentit à cæteris Apostolus Petrus: ille conniuet Iudæis, vt Synagoga sepeliatur cum honore: hi festinant, ne si fortè reliquiæ Iudaïsmi aliquæ maneant, per illas Neophyti reuertantur ad vomitum.

Conclusio.

Rata erat contradictio dictaminum: contradictoriæ assertiones non erant simul veræ; at erant simul probabiles, & ideò simul licitæ: quamobrem non peccauit Petrus conniuendo tantisper synagogæ, quia sequebatur suum dictamen probabile: sed neque peccarunt Paulus & cæteri Apostoli festinando, & Petro contradicendo & resistendo, quia & ipsi habebant pro se probabiles & graues rationes.

MVlta alia possem addere, in quibus S. Petrus, vt operaretur, contentus fuit opinione probabili. Vnicum tamen adhuc subscribam, vt meliùs intelligatur veritas, quam dilucido.

202 *De summi Pontificis creatione an possit successorem denominare?* Quærunt Theologi, *An summus Pontifex successorem possit denominare?* Affirmatiuam sententiam tenuit Vasquez *in 3. part. tom.3. disp.244. cap.3. num.26.* Victoria *relect. de Potestate Eccles. quæst.2. prop.10. num.2. & 3.* Franciscus Amicus *tom.4. disp.6. sect.6. num.204* & alij Multi negatiuam propugnant. Suarez *de fide, spe, & Charitate disp. 10. sect.5. n.16.* vtramque iudicat probabilem: consentit Diana *part.10. tractatu 5. resol.4.* putat tamen negatiuam esse probabiliorem, nam, vt ait, illi libentiùs adhæret. Et ego *in Hierarchia Ecclesiastica disp.55. num 648.* consentio.

S. Petrus insistẽs opinioni minùs probabili S. Clementẽ in successorem denominauit. Interim in re merè probabili, de qua nihil à Christo fuerat determinatum, S. Petro placuit sequi opinionem minùs probabilem, & materialiter minùs tutam; quia sciebat omnes opiniones probabiles formaliter esse æquè tutas; & minùs probabili insistendo denominauit successorem. Audi S. Damasum Papam, (Theologum Madritensem, Virum verè eruditum) qui *in lib. de Pontif. Romanis ad ann.34.* assentitur Clementi *Epist. 1. ad Iacobum*, & ait, *Hic Petrus B. Clementem Episcopum consecrauit, & ei Cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit dicens: [Sicut mihi gubernandi tradita est à Domino meo Iesu Christo potestas ligandi soluendique, ita & ego tibi committo, vt ordines dispositores diuersarum causarum, per quos actus non Ecclesiastici profligentur, & tu minimè curis sæculi deditus reperiaris, sed solummodò orationi & prædicationi ad populum vacare stude.]* Testatur hoc ipsemet

met Clemens, cuius verba habes in nostrâ Hierarchiâ Ecclesiasticâ *loc. cit.* Nec volo citari contra hanc resolutionem Baronium, sum enim iam assuetus illi non credere dicenti, sed probanti.

Martyrio coronatus fuit Petrus, & Ecclesia non obstante probabili electione Clementis, probabiliori insistendo sententiæ, Linum & posteà Cletum, & tandem Clementem Summum Pontificem denominauit. Et hæc denominatio, quo modocúmque exponatur, insistet fundamento probabili. Nam denominatio ipsa est probabilis, multi enim hanc historiam negant. Cessit Clemens: sed hoc ipsum est probabile. Ergo quidquid dicatur, non nisi sententiis probabilibus poterit corroborari. 203

Eccl. sia opposita sententia insistens ad electiones Lini processit.

INSTABIS: post Apostolorum tempora antiquatum, & obsoletum esse honestum prudentémque probabilitatum vsum, & inde subortam sentiendi & operandi libertatem. 204

Sed deciperis sanè. Nam Gregorius, Augustinus & alij Patres in materia fidei & morum multa senserunt, dixerunt, scripserunt, fecerunt quæ merè probabilia sunt.

An Patres in praxi opinioni minùs probabili consensi fuerint.

Genesеos primo capite per sex dies decurrit creaturarum mundanarum productio: & stando literæ & interpretationi Grammaticæ tam clarè, vt Ariaga hodie Augustino assentiri non audeat, sanè, quæ recensentur ibi, eo sensu quo locutus est Moyses, de fide sunt. Nos hexameron illud ex diebus, qui nostris essent similes fuisse compositum, communiter existimamus. Interim Augustinus probabilibus fundamentis insistens ad instantia & cogitationes Angelorum recurrens, omnia simul tempore producta affirmat; & hanc eius sententiam S. Thomas 1. *part. quæst.* 74 *art.* 2. Iudicauit probabilem. Audi D. Carolum de Thomasiis in doctissimo Angelici Doctoris compendio, *quod Arborem Theologiæ* nominauit, *Qui dies secundum Augustinum sunt vnus dies, septempliciter rebus repræsentatus: per diem enim ipse intelligit cognitionem Angelicam: vt si primus dies sit cognitio primi Operis Diuini; secundus secundi; &c. Secundum verò alios veram successionem temporis & durationis dicunt. Sed neutri sententiæ præ-*

An dies illi quorum in c. 1. Genes. mentio fit fuerint naturales.

Augustini sententia.

indicandum est. Vtramque sententiam probabilem esse docuerunt Gregorius de Valentiâ *tom.1. disp. 5. de Creatur. corpor.* Franciscus Suarez *de Opere sex dierum lib.1. cap. 11. num. 32.* & multi alij: qui omnes nos monent illam, quæ Augustino opponitur esse communiorem & probabiliorem. Interim sententiam Augustini Louanij iterum iterúmque Thesibus publicis doctissimè defendi vidi. Ergo Augustinus olim, & nunc

Conclusio. eius Discipuli supponunt *in expositione sacræ paginæ (hoc est in materiâ fidei) quamdiu Ecclesia nihil in particulari definiuit, sufficere opinionem probabilem.* Confirmatur hæc veritas. Nam Augustinus sæpe, vnum & eundem sacræ Paginæ textum duabus (nempe diuersis, & interdum aduersis) Interpretationibus dilucidat: & neutram illarum reprobat, sed vtramque posse sustineri pronunciat. Multos locos possem adducere, vt hoc, quod dico, euidenter ostenderem: vnum tantùm pro-

Qui sunt Ethnici, qui à Paulo sine lege operari dicuntur? ducam. Epistolæ *ad Romanos secundo* Paulus dixerat, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Hic textus est de Ethnicis: ergo vel agit de conuersis, vel de nondum conuersis. Sunt duæ expositiones altera falsa. Secunda videtur probabilior. Interim Augustinus *libr. de spir. & liter. cap. 26.* vtramque edisserit, vtramque amplectitur, neutram condemnat. Ergo censuit, *in materiâ Fidei sufficere opinionem probabilem.*

205 *Cultus Diuinus potest & solet in mera probabilitate fundari.* Sed & in materiâ morum contentus fuit Augustinus opinione probabili. Profectò sufficere meram probabilitatem, vt à summo Pontifice cultus diuinus publicè instituatur, iam vidimus: addo illam etiam esse sufficientem, vt priuatim cultus diuinus impendatur. Ergo etiam, vt in cæteris mores humanos dirigamus, quia humanitùs nihil maioris momenti potest fieri, quàm Deum colere. Porrò priuatim posse hominem colere Deum insistendo opinioni probabili patet: & tunc cultum probabilitate subnixum esse certò honestum & pium bifariam probo.

206 Primò, Argumentum à publico cultu desumens: quia in publico priuatus clauditur, & publicum esse pium & honestum in Bullis, quæ de Conceptione Marianâ sunt, Apostolica definiuit Ecclesia.

Secundò

Secundò, quia possumus priuatim gratias agere Deo, eúmque laudibus prosequi, non solùm ob beneficia, quæ certò recepimus, sed etiam ob illa, quæ probabiliter recepimus. Attende. Irridere videretur Deum homo priuatus, qui illi gratias ageret, quod se ad Imperium Constantinopolitanum promouerit: quod sibi ossa aurea infuderit; maiorem sole fecerit: &c. & à nemine excusaretur à peccato: nam hæc omnia euidenter sunt falsa, & cultus falsitati mendacióque inniti non potest. At potest probabilitati. Audi Augustinum, qui *Soliloquiorum cap.7 n.4* sic inquit.

Non autem potest in manifesta falsitate.

207 *Vnde mihi Domine benignissime Deus altissime Pater misesericordissime, & semper mitissime, quæ mea merita, quæ mea gratia vt complaceret ante conspectum tuæ magnificæ Maiestatis, creare me. Non eram, & creasti me: nihil fueram, & de nihilo me aliquid fecisti. Quale autem aliquid? non stillam aquæ, non ignem, non auem vel piscem, non serpentem, vel aliquid ex brutis animalibus; non lapidem vel lignum. Non ex eorum genere, quæ tantum habent esse, vel ex eorum quæ tantum esse possunt & crescere, non ex eorum genere, quæ tantum esse & crescere & sentire possunt, sed super omnia hæc voluisti me esse ex his, quæ habent esse quia sum: & ex his quæ habent esse & crescere, quia sum & cresco, & ex his quæ sunt crescunt & sentiunt: quia sum cresco & sentio. Et paulò minùs parem me creasti Angelis, quia rationem te cognoscendi, cum ipsis à te communem accepi, sed paulò minùs vtique dixi. Nam illi tuam felicem notitiam iam habent per speciem ego autem per spem: illi facie ad faciem ego per speculum in Ænigmate, illi plenè ego autem ex parte.*

An homo esse possit aqua, auis, piscis, serpens, arbor, &c.

An in natura sit æqualis Angelis & ab illis solus differat gloria?

208 Sunt omnia certa, ob quæ Augustinus agit Creatori gratias? An-ne est certum, sicut potuit Deus Augustinum creare album aut nigrum, magnum aut paruum; sic similiter potuisse facere hominem; aquam aut ignem, serpentem aut piscem, lignum aut lapidem, Leonem aut equum, &c. Negant hoc hodie vniuersi Theologi: asseruit Augustinus, nec tamen apodicticâ & demonstratiuâ ratione fultus, sed tantùm, vt putabat, probabili, & vt iudico non nisi minùs probabili, sumptâ ex Philosophia Platonicâ & Aristotelicâ asserente,

indiuiduationem pertinere ad materiam. Vnde sentiebat materiam A. esse substantiam A. Et accedente formâ humanâ fore substantiam A. humanam (hominem A) & accedente formâ equinâ fore substantiam A. equinam (equum A.) &c.

Conclusio. Ergo Augustinus in opinione probabili, aut etiam minùs probabili, fundat cultum Diuinum. Sensit ergò in materiâ morum sufficere opinionem minùs probabilem.

209 *An animæ & Angeli sint perfectione pares?* Agit posteà Deo gratias, quòd se paulò minùs parem creauerit Angelis: in intellectu parem, at lumine minorem; cognoscebat enim in speculo & Ænigmate Deum, quem illi videbant facie ad faciem. An ne euidenter certum est, Homines Angelósque in gradu intelligendi esse pares?

Conimbricenses *tract. de Anima separata disput.* 1. *art.* 7. inquirunt, *An animæ separatæ & Angeli distinguantur specie?* & tres diuersas opiniones proponunt: Primam, asserentium animas & Angelos naturæ specificæ perfectione æquales esse. *Sententia Origenis.* Quam D. Thomas Origeni attribuit, refellitque tum alibi tum 1. *part. quæst.* 75. *art.* 7. Item Scotus 2. *dist.* 1. *quæst.* 6. Alensis 2. *part. quæst.* 10. *memb.* 5. de Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *in* 2. *part. dist. art.* 3. *quæst.* 1. & alij ad eundem locum Magistri. Fortè Augustinus hanc Origenis opinionem, quam hodie vniuersi reijciunt, iudicauit probabilem: fortè non entitatem animæ, sed solùm intellectum respexit: quoniam Authores nec pauci, nec ignoti inter quos est Scotus 2. *dist.* 1. *quæst.* 6. distinctione *Quomodo intellectus humanus Angelicúsq; distinguantur.* quâdam se ab hac difficultate expediunt, aientes intellectum humanum, & Angelicum specie distingui ratione subiectorum; Conuenire rursum specie ratione obiecti; addúntque eodem omninò modo philosophandum esse de sensibus humanis ac brutorum. Et quia hæc distinctio videbatur difficilis. Conimbricenses *vbi super.* Iudicarunt probabile intellectum Angelorum & hominum esse eiusdem infimæ speciei: quam opinionem esse veram Augustinus supponens agit Deo gratias, quod cognoscendi vim cum Angelis communem sibi largitus fuerit. *Conclusio.* Cultum ergo Augustinus, quem Deo pendit, fundat in opinione minùs communi & minùs probabili. Sensit ergo in materiâ morum sufficere opinionem minùs probabilem.

Duas

DVas quæstiones, quæ hodie expediti sunt Iuris, & olim fuerunt obscuræ & difficiles, propono: alteram, *An cum periuris, Apostatis & excommunicatis communicare liceat?* alteram, *An Monastica vota dirimant matrimonium post professionem regularem initum?* Has ipsas à Carnotensibus Religiosis consultus edisserit S. Bernardus *libell. de præcept. cap.* 42. apud quem illos audire proderit. *Postulatis*, inquit, *absolui* (dissolui) *vobis, Cur vel B. Gregorius* [*lib.* 1. *Epist.* 33. *& lib.* 9. *Epist.* 15. *&* 31.] *nescio quem Venantium, qui habitum Monachalem, quem piè susceperat, impiéque reiecerat, non solùm resumere non coëgit, sed etiam legitur omnem indulsisse communionem Apostatæ perduranti: vel S. Augustinus* [*de bono viduitatis cap.* 9 10. *&* 12.] *coniugij legi votum quodammodò subiiciat continentiæ; ita vt in libro de Virginitate asserere videatur, nec cælibus quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere coniugali, quominùs indissolubile maneat, etiam quod à continentibus* (voto castitatis obstrictis) *fallente Diabolo, fracto Castitatis voto, initum fuerit matrimonium.* 210

Duæ proponũtur quæstiones.

An Apostatæ puniri debeant?

An matrimonium Virginitati præferatur?

Hæ duæ quæstiones, quæ primo intuitu videntur toto cœlo diuersæ, coïncidunt, & ex vno eodémque fundamento dependent: videlicet, *An vota solemnia Iure Diuino, an iure Pontificio dirimant matrimonium?* Si primum, non poterit in illis Pontifex dispensare, si secundum poterit. P. Leander diligentissimus & doctissimus nostri æui scriptor *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 12. *quæst.* 12. vtriúsque partis Authoritates & rationes librat, aitque sententiam, quam hodie Thomistæ tuentur, & votorum solemnium indispensabilitatem iure Diuino muniunt esse probabiliorem, citat pro se *cap. si vis sacro* (lege *si quis sacro*) 27. *quæst.* 1. Sed ex hoc capite, sicut & multis aliis, non solùm non constat matrimonium Iure Diuino dirimere, sed neque reuera dirimere, nam verbum *separare*, interdum est excommunicare; quoniam à fidelium consortio separari iubentur: & vbi semouere personas sonat, non exprimit caussam; nam aliquando, qui verè coniugati sunt, ob rationes graues separari iubentur. Ergo recurrendum est ad Caput *Vt lex*, in quo Innocentius II. qui, vt asserit Alphonsus Ciacconius, sedit anno 1530. sic statuit, *vt lex continentiæ & Deo placens* 211

An vota solẽnia dirimãt matrimonium & quo Iure?

Separare quid sit?

placens munditia in Ecclesiasticis personis, & sacris ordinibus dilatetur; statuimus quatenus, Episcopi, Presbyteri Diaconi Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conuersi professi, qui Sanctum transgredientes propositum vxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam Regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Potuit igitur S.Gregorius ob causas Vrgentes subscribens opinioni minùs probabili cum illo Venantio in voto solemni dispensare, nam voce *dispensandi* vtitur D. Bernardus, vt statim videbimus, Potuit non dispensare, sed timendo maiora inconuenientia, tolerare pertinacem Apostatam: & hic timor de obiecto esset probabili; non enim Venantius erat Rex, nec ita potens, qui nisi toleraretur, esset certè obruturus Ecclesiam. Potuit & S. Augustinus in loco citato agere de voto simplici, vt innuit Glossa *capitis* 41. *Causa* 27. *quæst*.1. potuit de solemni, & tamen non legisse Innocentij II. positam Constitutionem; hæc enim & multæ aliæ post Augustinum factæ sunt: nec omnes antiquas viderat Augustinus, illas enim, quæ inhibent, ne duo simul Episcopi in eodem Episcopatu consedeant, tàm ipse quàm eius prædecessor ignorabant, vt ipse Augustinus fatetur. Positâ igitur Canonis ab Innocentio II. lati, aliorúmque si qui clarè loquuntur ignorantiâ inuincibili (nam & hæc in omni probabili opinione reperitur) potuit Augustinus rationibus grauibus ductus stare opinioni, quod vota ex naturâ suâ matrimonium non dirimant, sed tantùm ex institutione Ecclesiasticâ, & cùm hanc ignorasset, potuit dicere, quæ apud Gratianum *causa* 27. *quæst*.1. *cap*.17. leguntur.

Quid fecerit S Greg.

An duo simul Episcopi possint in eodē Episcopatu sedere?

Vbi non datur ignorātia inuincibilis non datur opinio probabilis.

212 His positis, quo Bernardus de Gregorio, & Augustino modo discurrat, videamus. *Ad hæc nihil ad præsens certius breuiúsque respondendum occurrit*, ait Bernardus, *nisi quod ita sancti Antistites sapuerunt: recténe? ipsi viderint.* Ecce meritò dubitat. S. Bernardus, an sint veræ sanctorum Gregorij & Augustini sententiæ. An similiter dubitat, aut asserit illos sequendo opiniones incertas, & merè probabiles peccauisse? minimè. Addit enim. [*Ego in sensibus actibúsque Illustrium Patrum cautus sum, non omninò aliud æstimare, quàm quòd beato*

Resolutio Bernardi.

1.Cor.4.a.

beato teste Apostolo, Quæritur iam inter dispensatores, vt videlicet fidelis quis inueniatur. *Certus sum enim siue in suo abundauerint sensu* (sequendo rationes probabiles & graues) *siue in Dei spiritu* (sequendo priuatam aliquam reuelationem) *sicut, in cæteris, ita in his ambos extitisse fideles: illum in dispensando, quod præ manibus erat, istum in scribendo, quod senserat.*] Ergo S. Gregorius non habuit obligationem faciendi hoc vel illud, si non poterat; sed faciendi quod poterat; & S. Augustinus non habuit obligationem scribendi verum, si illud inuincibiliter ignorabat; sed adhibendi diligentiam prudentem, vt veritatem assequeretur, & hâc diligentiâ præmissa, debuit scribere, quod sensit. [Ecce quomodo hîc S. Bernardus certitudinem de veritate obiecti à certitudine de honestate actûs scitè distinguat! licèt enim nolit asserere doctrinas, quibus institerunt Gregorius, Augustinúsque esse veras; nihilominùs illos fideliter & laudabiliter processisse resoluit: qui enim docet quod sentit; & vt bene sentiat, facit quod potest, Deo satisfacit. *Nemo tenetur supra mentē intelligere, aut supra Vires operari.*

Ergo & cæteri etiam Doctores hodie Deo & mundo satisfacimus, si in practicis facimus, quæ possumus; & in speculatiuis, scribimus quæ post studium, & diligentiam debitam rationabile credimus. *Conclusio.*

Potuerunt & debuerunt Veteres Patres dictamini probabili, licèt falso, insistere, quamdiu inuincibiliter veritatem nesciebant: sic nos docuit Bernardus: Videamus modò quid ipse sentiat de seipso. In eodem libello de præcepto *c.*47. sic inquit. [VOS ME in hac difficultate consilij facilè expeditis cum deinde sequimini, & quatenus accipi hoc ipsum velitis, quod appellatis *irregulare*, aperiendo subiungitis. *Præsertim, si electionis irregularitas, adeò inuoluta sit & intorta, vt licet de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen aut vix aut nullatenùs conuincatur. Venit nunc quoque in mentem sapientis eloquium. Occasionem quærit, qui vult recedere ab amico. Quonam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ cassari regulariter non valet, aut reprobari? Et quidem legitur, Quod probari non potest mihi infectum est.*] 215

Res politicæ nō sunt, nisi esse probentur.

Prou. 18.

Existentia realis & Virtualis. Nota illud *mihi.* Porrò rerum aliæ existunt realiter, aliæ virtualiter. Termini sunt noti, & à nobis variis in locis explicati. Existit homo realiter, quando viuit: virtualiter verò post mortem, si ita se habet, ac si realiter viueret, sicut de *esse* sic de *non esse* philosophandum est. Ergo Bernardus, vt suum intellectum & voluntatem dirigat, non quærit, quid factum aut infectum absolutè sit? supponit enim hoc sæpe humanitùs sciri non posse. Quærit autem, quidnam probetur aut non probetur: rem enim erit crediturus, si probaueris: quam ipsam, erit, si non probaueris, decrediturus. Cùm autem probatio sit duplex; plena & semiplena: de qua quæso intelligendus Bernardus est? constat ex eius verbis. Dicebant Carnotenses,

Nemo tenetur credere quod non plenè probatur. *quòd irregularitas electionis coram hominibus vix aut nullatenùs conuincatur*: & respondet Bernardus, *quod probari non potest*: (hoc est, quod coram hominibus non conuincitur, id est, plenè probatur,) *mihi infectum est.* Protestatur igitur S. Bernardus asseritque se non debere intelligere, & credere positiones prout sunt coram Deo (nondum enim gloriæ lumine suffusus erat) non, vt sunt apud Angelos: (non enim habebat rerum intuitiuam notitiam, sed discursiuam) sed tantùm, vt sunt apud homines (ipse enim homo erat, vt cæteri) statuit ergo, se teneri assentiri propositioni practicæ, si conuincatur; si plenè probetur: non aliàs. Quid autem si non

Quid si semiplenè probetur. conuincatur, sed tantùm semiplenè probetur? quid si non euidenter, sed tantùm verisimiliter (minùs, æquè ac magis probabiliter) suadetur? in hoc casu respondet se posse liberè dicere, *Quod probari* (conuinci & demonstrari) *non potest, mihi infectum est.*

214 *Beatus qui possidet.* Videat igitur D. Fagnanus, An Bernardus materialiter ad tutam positionem, an vero ad eam quæ conuincitur & demonstratur, recurrat, antequam assentiendi obligationem statuat. Erat in possessione Abbas: & beatus, qui possidet. Et non poterant Carnotenses Monachi à Bernardo extorquere, vt irregulariter esse promotum pronunciaret; nisi electionis conuincerent (euidenter ostenderent) irregularitatem.

Conclusio. Ergo in omni quæstione de facto (omnes Morales tales sunt) si me velit ad vnam contradictionis partem coarctare

D. Fagna-

D. Fagnanus, dicam liberè, *quod probari* (conuinci & demonstrari) *non potest, mihi infectum est.*

TRanseo ad D. Thomam, & suppono tria exstare de illo Elogia, quæ vel negare, vel in dubium vertere, religio sit. Primum est Christi Angelico Doctori dicentis, 215 *Elogia præcipua D. Thomæ.*

Bene scripsisti de me Thoma.

Secundum Innocentij Papæ declamantis.

Nunquam, qui eum (B. Thomam) *tenuit inuenitur à tramite veritatis deuiasse: & qui eum impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.*

Tertium est Clementis VIII. ad Ciuitatem Neapolitanam [habetur apud Bzouium ann. 1322.]

Doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari ordine ac mira perspicuitate sine vllo prorsus errore conscripsit.

Hæc tria Elogia, vt alia innumera prætercam, esse authentica & certa, affirmat & persuadet eruditissimus ille libellus, qui laus *D. Thomæ* inscribitur à R. P. Didaco Morales compositus, & Neapoli anno 1662. editus: vnde hoc licebit supponere, nec erit necessarium probare. His præmissis, quatuor subscribam argumenta, inuidiâ plena: ex quorum solutione constet corruere D. Fagnani opinationem. 216 *An Authentica sint?*

I. *Bene Scholasticè & Ethicè de Deo, vt causâ primâ, vt fine vltimo scripsit S. Thomas. At Scotus, Durandus, Nominales, &c. habent opiniones oppositas. Ergo Scotus, Durandus, Nominales, &c. de Deo scripserunt male.* *Obiectiones.*

II. *Qui D. Thomam impugnant, sunt de veritate suspecti. Sed Scotistæ, Durandistæ, Nominales, &c. illum impugnant. Ergo hi omnes sunt de veritate suspecti.*

III. *D. Thomas sine vllo prorsus errore scripsit. Ergo omnes D. Thomæ opiniones sunt veræ: ergo oppositæ falsæ. Ergo erroneæ. Errant igitur Scotistæ, Durandistæ, Nominales, &c.*

IV. *Omnia quæ de Deo scripsit S. Doctor sunt bene scripta: Ergo omnia sunt vera, sed interdum scribit contradictoria, Ergo duo contradictoria sunt simul vera.*

217 *An Thomistæ detrahãt Scotistis, aut aliis.*

Primum non est Thomistarum ex præmissis ratam esse conclusionem volentium: vnde in libelli citati pag. 79. §. *Secundò*, dicitur *hæc consequentia nunquam venisse in Thomistarum mentem.* Est inimicorum S. Thomæ: & in memoriali ad Iudices veritatis impresso Barcinone ann. 1626. quod Inquisitio condemnauit, inuenitur: posito enim primo argumento Angelici Doctoris æmuli discurrunt sic.

An Elogiũ dictum à Christo Diuo Thomæ sit fictum.

Consequentia est legitima. Consequens falsum ergò à præmissis falsitatem hanc hausit: nam falsum ex vero non sequitur. At minor est indubitata, ergò maior est falsa. Ergo, cùm Christum errasse dici nequeat illud Christi de S. Thoma doctrina testimonium, à Thomistis confingitur.

218 *Cĕsura propositionum quæ apud D. Thomam inueniũtur sunt certa.*

Cæterum S. Thomæ æmuli, dum sic argumentantur, delirant: confundunt enim propositiones simplices cum modalibus: alias enim tradit S. Doctor vt certas, alias vt probabiles: & illæ certæ omninò sunt, & hæ verè probabiles. Hanc veritatem Angelicus Magister nos docuit. 2. 2. *quæst.* 29. *art.* 23. supponens enim in rebus ab Ecclesia definitis, & apodictica ratione demonstratis, non posse esse diuersas Theologorum sententias, subdit, *Nihil prohibet, aliquos charitatem habentes, inopinabilibus dissentire, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur.* Ergo non obstante opinionum varietate Angelicus Doctor *bene scripsit*, quoniam eius Modales sunt veræ: quidquid enim ipse dicit esse fide tenendum, est de fide: quidquid asserit demonstrari, demonstratur: & quidquid probabiliter suaderi statuit, est probabile. Sapientissimus Magister Grauina, *Cherub Paradis. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 4. hoc modo & Christi & Pontificum verba explicat, & propugnat. *Eam*, inquit, *habet interpretationem tale dictum, sicut dicebat de Nazianzeno Rufinus, vt in his, quæ concernunt fidem*, (videlicet, in his quæ S. Thomas dicit esse de fide) *hæreticus habeatur, qui dictis Thomæ in fide non concordet: in cæteris* (omnia enim, quæ nec fide tenenda esse dicit, nec naturali fulciri demonstratione asserit) *discordare posse ipse D. Thomas censet, cùm opinabile sequendum esse & permittat & doceat.* Vide citatum opusculum P. Didaci Morales *pag.* 4. §. *Sapientissimus*, & *pag.* 8. §. *dicimus*

§. *Dicimus*, & *pag.* 10. §. *Demum.* Vnde *pag.* 21. §. *Certissimum.* citatur P. Ioannes de S. Thoma, quem sæpe ego Compluti fulminantem, veriùs quàm argumentantem pro doctrinâ Angelici Doctoris audiui; ipse enim *in tract. præliminari ad* 1. *p.* sic Innocentij verba interpretatur, vt *in suspicionem falsitatis illi dicantur deuenire, qui contradictorio modo Angelico Magistro se opponunt.* Sed, qui se opponunt contradictorio modo? Qui dicunt, *Hæretica, improbabilis, temeraria erronea,* &c. Est, *hæc vel illa sententia D. Thomæ.* Vide iterum P. Didacum Morales *loc. cit. pag.* 10. §. *Nunc.* Hinc ad illa quatuor argumenta redeamus, & singulas eorum propositiones meditemur.

P. Ioann. de S. Thoma laudatus.

PRIMI erat maior. *Bene Scholasticè & Ethicè scripsit de Deo S. Thomas.* Est vera, quia à Christo prolata. Et tamen non omnia, quæ scripsit S. Doctor sunt vera Vt in expositione vltimi argumenti videbimus. Ergo aliud est *bene scribere*, & aliud toto cœlo diuersum *vera scribere* scribit vera & certa homo, aut ratione euidenti munitus, aut speciali reuelatione diuinitùs illuminatus: at probabilia tantùm, qui grauibus fundamentis insistens: at bene scribit, qui scribit, quod sentit; & vt bene sentiat, adhibet diligentiam, quàm humanitùs potest: nullus enim homo tenetur res intelligere Angelitùs, nec dirimere controuersias diuinitùs. Venio ad minorem. *At Scotus Durandus, &c. habent opiniones oppositas.* Distinguit P. Ioannes à S. Thoma, & ex illo P. Didacus Morales *pag.* 10. §. *Nunc*, & *pag.* 21. §. *Certissimum*, contrariè transeat contradictoriè nego. Sic illi; &, si bene intelligantur, doctissimè. At ego claritatem amo, & negando hanc minorem respondeo. Sed Theologi primæ tonsuræ, qui in Dialecticis cespitant, & in Philosophicis adhuc cœcutiunt, se opponent dicentque. *Hæ duæ propositiones*, Deipara est in peccato concepta, Deipara non est in peccato concepta. *Sunt contradictoria. At prior est D. Thomæ: Scoti verò & omnium Nominalium posterior. Ergo D. Thomas, Scotúsque habent opiniones oppositas.* Et respondeo Propositiones alias proferri simpliciter quidem à Deo, qui vniuersa comprehendit: simpliciter ab Angelo, qui naturales veritates intuetur; at non nisi modaliter

219 *Expenditur primum argumentum.*

An bene scribere sit vera scribere?

An S Thom. & Scot. habeant opiniones oppositas?

Propositiones aliæ simplices & aliæ sunt modales.

Omnis conclusio est modalis. liter ab Homine, qui nullas comprehendit, paucas intuetur, & plerasque omnes per discursum assequitur. Ergo Propositio habita per discursum est Conclusio : & hæc modificatur à præmissis, ita vt si hæ graues quidem sint, non tamen diuinitùs reuelatæ, aut per se notæ, inficiatur formidine quam formidinem ortam à rationum grauitate significat vox *probabilitas*, quæ vel expressè ponitur, vel vt necessariò subintelligenda relinquitur. *Quid probabilitas importet?* Cum ergò hanc propositionem *Deipara est in peccato concepta*, nec comprehensiuè, nec intuitiuè cognoscat S. Thomas, sed per discursum; non ex assertionibus fide tenendis, non ex per se notis axiomatibus, inferat; superest, vt illam, à fundamentis, semper cum formidine deducat; Hæc autem Assertio, *Ego cum formidine iudico Deiparam esse in peccato conceptam.* Æquiualebit huic. *Ego probabile iudico Deiparam esse in peccato conceptam.* Porrò huic propositioni, *Probabile est Deiparam esse in peccato conceptam*, non opponitur hæc, *Deipara est in peccato concepta* : quæ simpliciter sumitur, & nullius est : non hæc, *Probabile est Deiparam non esse in peccato conceptam*, quæ Scoti & hodie plurimorum est : Sed hæc, *Improbabile est. Deiparam esse in peccato conceptam.* Quàm post alios Pontifices satis clarè condemnat sanctissimus Dominus noster. At hæc, nec Scoti, nec vllius hominis prudentis est. Stat igitur primò propositiones simplices vix ac ne vix quidem apud Authores reperiri: Stat secundò, D. Thomæ modales, & Scoti modales contradictoriè non opponi : quæ enim S. Thomas dicit esse de fide, etiam Scotus dicit esse de fide : & quæ S. Thomas iudicat probabilia Scotus non iudicat improbabilia.

Probabilitati non opponitur probabilitas.

Quid probabilitas importet.

Conclusio.

220 *Expenditur secundũ argumentum.* Volui primum illud ratiocinium contra D. Thomam obiectum vberiùs edisserere, vt citiùs faciliùsque me expedirem à cæteris. Ad secundum igitur argumentum respondeo distinguendo maiorem. Sunt de veritate suspecti, qui in doctrinâ D. Thomæ impugnant probabilioritatem, nego : qui probabilitatem concedo. A Scoto, Durando, Nominalibus impugnari probabilioritatem concedo; impugnari probabilitatem, nego. Adeóque consequenter nego illos esse de veritate suspectos.

Tran

TRANSEO ad tertium: & concedo maiorem, quia opinio probabilis, error non est: vnde cùm in D. Thomâ nulla sit opinio improbabilis, nullus omninò erit error. Imò sicut propositio vera, potest esse mendax, si contra mentem asseratur: sic & vera potest esse Dialecticè seu rationabiliter erronea, si temerè & sine fundamento asseratur: homo enim tenetur vti intellectu, non abuti, & qui abutitur, licèt per accidens verum dicat, stando dialecticæ, errat. 221 *Expenditur tertium argumentum. Quid propositio falsa, quid mendaciũ quid error?*

DESCENDO ad quartum, & concedo maiorem: nam omnia, quæ in D. Thomæ Operibus exstant, sunt bene scripta. Scripsit enim S. Doctor, quæ sensit & vt bene sentiret, adhibuit diligentias, quas debuit. Progredior & distinguo minorem. Omnia, quæ scripsit S. Doctor esse probabiliter vera concedo: esse certò vera nego. Illam minorem, *sed interdum scribit S. Thomas contradictoria*, nego: nam ille non docet Positiones simplices & absolutas, sed modales, affectas formidine & modificatas expresso aut tacito probabilitatis vocabulo: & certum est apud Vniuersos Dialecticos has propositiones, *Probabile est rem* A. *esse* & *Improbabile est rem* A. *esse*. in libris Angelici Doctoris non reperiri: & æquè certum etiam est, has Probabile est rem esse, & Probabile est rem non esse, non opponi. 222 *Expenditur quartũ argumentum. An D. Thomas scripserit cõtradictoria?*

Tandem igitur pono huic articulo finem, illúmque hoc breuissimo discursu claudo. Si S. Thomas in materiâ fidei & morum, quando nihil Ecclesia definierat, nec ratione demonstratiua ducebatur, potuit licitè & laudabiliter sequi suum dictamen probabile, & iuxta illud scribendo, teste Domino Iesu Christo *bene scripsit*: & teste Clemente, *sine vllo prorsus errore scripsit*: ergò similitèr omnes Iuniores, qui in materiâ fidei & morum Resolutiones edunt, quamdiu intra Probabilitatis terminos se continent, de Deo, vt primâ causâ & vltimo fine bene scribunt, à veritatis tramite non deuiant, & sine vllo prorsus errore libros edunt. 223 *Conclusio.*

HInc occasione sumptâ alios Authores profero, qui paulò post mortem Angelici Doctoris floruerunt. Anno Domini 1274. S. Thomas ad Empyrum translatus est. Occœpe- 224 *Post D. Thomæ mortem inuidia co-*

iunt

tra eius probabilissimas Conclusiones insurgit.

runt post eius sanctissimum transitum, quod Etiam Augustino olim accidit, Inuidi insurgere: & qui in viuentem nunquam ausi sunt obloqui, mortuum inuadere, vt & tunc esset verum Politicum illud Axioma, *Mortuo leoni, & lepores insultant.* Et, vt hoc etiam non omittam, nam Iansenius sub D. Fagnani chlamyde in Ecclesiam retruditur, Thomam Ianseniúmque differre omninò video in modo docendi. Ad illum publicè confluxerunt Discipuli, publicè exceperunt dictata: & viuenti nullus est ausus contradicere: mortuus inuidiæ insolentiam fuit passus. At Iansenius dum viueret, tacuit: clam Pseudo-Augustinum suum scripsit: clam doctrinam illam suos Discipulos docuit: clam emit chartam & præparauit characteres, vt librum typis clandestinis imprimeret: qui tandem etiam clam fuit impressus: at mortuus incepit voce audentiore loqui, & à multis defendi. Sed de hoc vberiùs alibi.

Iãsenius cũ Angelico Doctore collatus.

215 *An S. Thomæ doctrina à Parisiensib. fuerit damnata?*

Eò venit Inuidiæ proteruia & audacia, vt anno 1277. (non 1227. vt in aliquibus Indicibus legitur) ab Stephano Templier, Episcopo, & Vniuersitate Parisiensi multæ Conclusiones (sunt qui 217. sunt qui plures aut pauciores enumerent) damnatæ sint: quarum pleræque, saltem quoad exteriorem literam, in Angelici Doctoris summâ etiamnum reperiuntur. Huic duræ, imò etiam imprudenti, sententiæ Henricus de Gandauo interfuit: aut etiam consensit, si velis: nam *Quodlib. 2. quæst 9. fol. 36. b.* sic inquit. *In hoc ergo concordabant omnes Magistri Theologiæ, quorum ego eram vnus*, &c. Scripsit librum hunc Henricus circa annum 1290. & in multis acriter S. Thomam impugnat. Porrò Stephanus in Decreto suo S. Thomæ non meminit: & tamen, quia verba Articulorum condemnatorum reperiebantur in summâ, vulgò creditur illam fuisse damnatam. At verò (& hoc notetur benè) materiales illas Propositiones, sensu ab Angelico Doctore intento condemnatas non fuisse, quod fortè pauci animaduerterunt, clarissimè demonstraturus sum. Godofridus de Fontibus, qui anno Christi 1300. & à condemnatione illâ 23. scribebat, nondum typum subiit, & tamen dignus est, qui in lucem prodeat. Exstat manuscriptus in S. Germani de Pratis volum. 589. in

An etiã ab Henrico de Gandauo?

An S. Thomæ doctrina sensu à suo Authore intento proscripta fuerit?

Godofridus de Fõtibus.

in S. Victoris apud Parisios volum. 254. in Sorbonica, necnon Brugensi Bibliothecâ. Hic ergo *Quodlib.* 12. *quæst.* 5. hanc condemnationem detestatur, & esse asserit magnorum scandalorum causam; doctrinámque Doctoris Angelici scandalosam esse, non quidem propter se, sed propter hanc solummodò condemnationem. Enumerat recensétque notâ iniustos Articulos, & addit. *Sed omnes isti sunt occasio scandali inter audientes, tam Doctores, quàm Auditores: quia cùm frequenter oporteat exponere aliquos de prædictis Articulis, non quidem contra veritatem, nec contra intentionem quam debuerunt habere illi, qui prædictos Articulos ediderunt, sed tantùm contra id quod videtur prætendere superficies literæ; aliqui minùs periti & simplices reputant sic exponentes excommunicatos; & formant sibi conscientias, quòd tales malè sentiunt; & tales simplices, bonos, & graues, tanquam notatos de excommunicatione Cancellario vel Episcopo deferunt: & plura inconuenientia & Schismata ex hoc inter studentes oriuntur. Sunt etiam in detrimentum non modicum doctrinæ studentibus perutilis Reuerendissimi & Excellentissimi Doctoris, scilicet Fratris Thomæ, qui ex prædictis Articulis minùs iuste aliqualiter diffamatur: quia Articuli suprapositi, & quàmplures alij* (puta consideratâ nudâ literâ, & neglecto legitimo sensu) *videantur sumpti ex his, quæ tantus Doctor scripsit in doctrina tam vtili & solemni. Et ideò in hoc, quod tales Articuli tanquam erronei reprobantur, dicta doctrina vt suspecta à simplicibus habeatur, quia* (vt falsò putant) *erronea & reprobabilis inuenitur: propter quod plures possent habere occasionem retrahendi se à studio in tali doctrinâ: in quo non solùm ipsa doctrina læditur, sed & ipsi studentes verè damnum maximum sustinent, quia saluâ reuerentiâ aliquorum Doctorum, exceptâ doctrinâ Sanctorum, & eorum, quorum pro Authoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras videtur melior, & laudabilior reputanda: vt de Doctore, qui hanc doctrinam scripsit possit dici in singulari illud quod Dominus dicit in plurali de Apostolis* Matth. 5. *Vos estis sal terræ.* Progreditur, & addit Magistros circa hanc condemnationem non esse bene concordes, & concludit, quod Episcopus, qui

226

Reuerend. & Excell. *Parisiis sacræ Theologiæ Doctores sub annum* 1300. *vocabantur.*

227

Qualis sit D. Thomæ doctrina?

An S. Thomas sit sal terræ.

tunc sedebat, *sententiam sui Prædecessoris ad dictos Articulos appositam possit sine periculo ad pacem & vtilitatem plurimorum faciliter amouere.*

Ἀπόθεωσις eiusdem. Anno 1323. à Ioanne XXII. Doctor Angelicus catalogo sanctorum adscribitur: & Episcopus Parisiensis, alius Stephanus, cognominatus de Borreto, qui sedit ab an. 1320. ad 1326. illam aboleuit condemnationem anno 1324.

228 *An & quomodo S. Thomæ doctrina dãnata sit?* Hæc dicta sint, vt constet Angelici Præceptoris doctrinam, quæ nostram adstruit, nunquam damnatam fuisse à Tribunali vniuersali, nunquam à legitimo, nunquam nominatim, & nunquam in sensu à Viro sanctissimo intento, sed in alieno, quem eius verbis materialiter sumptis adfingebat Inuidia. Hoc vltimum affirmat Stephanus in Annullatione Censuræ datâ ann. 1324. inquit enim, *Quidam Prædecessores nostri Parisienses Episcopi quosdam Articulos, ne forsitan eos male intelligentes cederent in errorem, tanquam erroneos per excommunicationis sententiam damnarunt & interdixerunt expressè.* *Parisiensiũ de doctrinâ D. Thomæ Iudicium.* *Quorum tamen nonnulli doctrinam B. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum tangere ab aliquibus asseruntur*, &c. *Comperto per Dei gratiam dictum Confessorem beatum nihil vnquam sensisse docuisse vel scripsisse, quod sanæ Fidei, vel bonis moribus aduersetur*, &c. Et in eodem Diplomate eandem D. Thomæ doctrinam non fuisse ab Ecclesiâ condemnatam fatetur.

229 *An D. Thomæ Opera fuerint nociua?* Hic, vt vides, Stephanus Templier, Parisiensis Episcopus, à Stephano Borreto, successore suo non sufficienter excusatur. Primò enim non facilè crediturus sum S. Thomæ doctrinam, etsi bonam, aliquos in errorem induxisse. Prostat hodie: à peritis & imperitis legitur, & nullum in errorem inducit: ergo neque tunc inducebat. Prætereà, vt vt induxerit; libri boni, si per accidens nociui sint (puta, quia illis abutuntur nonnulli) interdici possunt; at erronei vocari, & hoc nomine condemnari non possunt. *An potuerint damnari?* Et hoc probo euidenter: nam sacra Biblia in vernaculâ linguâ vera sunt, bona sunt: nocent per accidens, nam illis imperiti abutuntur: hanc ob rem interdicuntur meritò, sed nullibi gentium damnantur.

Interim

INterim, quia citaui Godefridum de Fontibus, ex illo ostendam, ante annum 1300. (huic enim ille creditur non attigisse) obtinuisse in Ecclesiâ hoc Principium, *In Fidei & morum materiâ ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis: siue probabilitas intrinseca, siue extrinseca sit*: nam, vt prædictus scriptor asserit, suo tempore in Parisiensi Academiâ de abolitione condemnationis ab Stephano Templier, ibidem Episcopo factæ, & confirmatione doctrinæ Thomæ (nondum canonizati) disserebatur. Volebant Thomæ fautores, vt Articuli in condemnatione expressi, quà Thomam videbantur concernere, corrigentur aut delerentur: contrà alij nec delendos nec corrigendos esse, sed retinendos.

An etiam externa Probabilitas sufficiat ad securitatem?

Parisiensiũ Doctorum circa doctrinã S. Thomæ dissensio.

230 Hi, vt constat ex *Quodlib. 12. quæst. 5. ad 4.* argumentabantur hoc modo. *Tales Articuli non sunt corrigendi. Quia quod factum est de consilio sapientum, non videtur corrigendum. Sed id, quod circa dictos Articulos est actum, factum est de consensu sapientum, vt dicit D. Stephanus quondam Parisiensis Episcopus. Ergo*, &c. quod est dicere. [Vt prudenter & tutâ conscientiâ credamus illas Thomæ Propositiones fuisse à pluribus sapientibus condemnatas, sufficit, vt aiunt, quod id vnicus testetur Stephanus. *Ecce in Quæstione facti ad securitatem conscientiæ vnico teste contenti sunt.* Vt autem tutâ conscientiâ credamus esse falsas & iustè damnatas, adeóque ad praxim non debere reduci, sufficit, vt inquiunt, sapientum iudicium. Ergo oppositæ ideò censebantur in praxi tutæ, quia à sapientibus consulebantur. Ex hoc capite multa deducuntur, quæ nostram, hoc est, communem doctrinam illo æuo obseruari demonstrent. Porrò Doctores Parisienses quando de Angelici Doctoris Positionibus disserebatur, aut erant concordes, aut diuisi [illud Henricus de Gandauo *Quodlib. 2. quæst. 9. fol. 36. b.* testatur dicens, *In hoc ergo concordabant omnes Magistri.* Hoc posterius demonstrant schismata subsequuta: nec enim turbarentur & diuiderentur Doctores, si omnes in condemnatione consensissent.] Alterutrum dicatur non potuerunt plus facere, quàm opinionem probabilem, nam contra stabat schola Patrum Dominicanorum, quam esse grauis authoritatis certum est. Ergo resoluerunt illi Doctores

An, quod sapientes faciunt, debeat corrigi?

An in quæstione facti sufficiat testimonium vnius?

An in quæstione Iuris probabilitas externa ad securitatem sit satis?

Vnius Vniuersitatis Doctores, concordes aut diuisi sint, non faciunt sententiã certã sed probabilem.

Imò contra cæteras Vniuersitates minùs probabilem. Articulos illos esse damnandos. Ergo damnauit illos Parisiensis Episcopus stando opinioni probabili: aut etiam minùs probabili; non enim erat illorum Doctorum sententia probabilior, cùm Ecclesia Romana illas doctrinas toleraret, & cæteræ vniuersitates, vt probabiles amplecterentur; aut non damnarent saltem. At causa honoris (qualis illa erat, nam & S. Thomas erat nobilis, & habebat cognatos & affines conspicuos) non est despicatior causâ sanguinis, Ergo in Vniuersitate Parisiensi illi æuo obtinebat hoc Dogma, *Ad damnandum tutâ conscientiâ reum, etsi causa sit honoris aut sanguinis, sufficit probabilitas.* At hodie hac doctrinâ vti non auderemus: Ergo sub annum 1300. laxior erat, quàm nunc doctrina de probabilitate.

An causa honoris posponi debeat causæ sanguinis?

231 *Nota bene.* Sed quid ad hoc Angelici doctoris Fautores? An negarunt probabilitatem ad conscientiæ securitatem sufficere? Possem ego dicere ad absolutionem probabilitatem sufficere, ad condemnationom verò euidentiam & certitudinem requiri. Quid ergo responderunt illi? Tam erat communis doctrina de probabilitate, vt de illâ dubitare noluerint: & ideò noluerunt negare aduersariis contra D. Thomam sufficere probabilitatem. Quid ergo? Negarunt sufficere improbabilitatem: & hanc ob rem, non opposuerunt condemnationem illam probabiliter esse malam, & Articulos, qui in illâ iubebantur defendi, esse probabiliter falsos; sed ad certitudinem & euidentiam recurrerunt, dicentes, *Articuli, qui sunt inintelligibiles, & qui manifestè videntur falsi & impossibiles, sunt meritò corrigendi. Sed inter prædictos Articulos* (quos videlicet, contra Thomam propugnari præcipiebat Parisiensis Episcopus) *sunt plures tales, vt patet inspicienti. Ergo*, &c.

232 *De Morali Dialecticâ.* [Nota hîc obiter hanc Positionem, *Licet Parisiensi Episcopo sui Prædecessoris duram in D. Thomam annullare sententiam*, bene probari: at nunquam bene, *Licuit antecessori illam ferre.* Et hoc ex eodem capite: nam Prædecessor euidentiam non habuit.] Vt ergo scias, quo debeat modo *licet*, quo debeat *Non licet* probari, considera sequentes lineas.

Licet sic. Quidquid est probabile licet. Sed Stephanus in condemnatione Propositionum Thomæ sequutus est opinionem

nem probabilem. Ergo illas condemnare licitè potuit. Ergo eius successor licitè potest hanc ipsam condemnationem manutenere. Ergo non est cur illa corrigatur aut aboleatur. Suadetur minor. Quidquid asserunt Viri sapientes est probabile. Sed illas propositiones esse damnandas sapientes consuluerunt. Ergo in illarum condemnatione Stephanus sequutus est opinionem probabilem.

Rem esse licitã, quomodo probare possimus?

Respondebant Thomistæ, concedendo maiorem, & mi- 233
norem negando. Ad probationem distinguebant maiorem, dicentes *Primò*: aliud esse propositionem esse falsam, aliud esse damnabilem: nam, quam multi esse falsam dicunt, falsa probabiliter est: at eam, quæ falsa probabiliter est, damnari non posse, certum est. *Secundò*, concedunt esse probabile quidquid sapientes asserunt, si illi probi sinceri sint, & nullo modo partium affectibus aut inuidia incitentur: negant autem sapientum authoritatem ad probabilitatem sufficere, si non ratione, sed passione regantur. Similiter minorem distinguebant. Illas sanè propositiones à sapientibus damnari concedebant, negabant autem illos ratione & non passione ductos.

Doctores, qui ad extrinsecam probabilitatem requiruntur, debent esse sinceri & passionibus liberi.

Aliam probationem eiusdem *Licet*, desumo ex Diplomate 234
quo Stephanus Borretus Parisiensis Episcopus, releuat & annullat latam à suo Prædecessore imprudentem censuram: nam sui facti hanc rationem adducit ann. 1324. *Nos igitur attendentes cum eis* (Theologiæ Doctoribus) *quod sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium mater & magistra in firmissimâ Petri Christi Vicarij confessione fundata, ad quam velut vniuersalem Regulam Catholicæ veritatis pertinent approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & consultatio errorum, præfatum Doctorem cuius doctrinâ fulget Ecclesia vt Sole Luna, nuper sanctorum catologo adscribendum decreuit*, &c. Ex quibus sic ego discurro. Nulla particularis Ecclesia habet ius definiendi Propositiones Fidei, & Hæresim à veritate Fide tenendâ distinguendi: bene tamen damnandi libros & personas, quæ Assertiones à Catholicâ Ecclesiâ damnatas propugnent. Ergo in rebus obscuris, quibus ratio demonstratiua sufficientem non

Vniuersalis Ecclesiæ infallibilitas in definiẽdo.

Ecclesiæ particulares falli possunt.

Nota id bene.

impertitur lucem, seu ad Fidem, seu ad mores pertineant, licet sic, aut aliter probabiliter opinari, quamdiu Ecclesia Romana oppositum credi non iubeat. Ergo licet sic, aut aliter probabiliter loqui, quousque Ecclesia Romana aut verba determinet, aut silentium indicat.

135 *Doctrina probabilis secundũ se considerata, semper est licita.*

Addam adhuc tertiam ex eodem Diplomate. Considera has periodos. *Maturo consilio super hoc habito, supradictam Articulorum condemnationem & excommunicationis sententiam, quantum tangunt vel tangere asseruntur doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certâ scientiâ tenore præsentium totaliter annullamus. Articulos ipsos non propter hoc approbando aut etiam reprobando, sed eosdem discussioni Scholasticæ liberè relinquendo*, &c. Porrò doctrina D. Thomæ & Fidem & mores concernit. In ipsâ 122. Propositiones (hæ vt hæreticæ, illæ vt malè sonantes, istæ vt contra bonos mores, omnes vt erroneæ ad tribunal ab inuidis appellabantur) ipsæ vt erroneæ saltem ab Illustrissimo Templierio Prædecessore suo fuerant anno 1277. condemnatæ. Attende. Non definit Parisiensis Episcopus illas esse certas, sed probabiles; ideò enim ipsas ad Scholasticam palæstram discutiendas remittit. Quid ergo in fauorem Angelici Doctoris resoluit, siquidem illas esse incertas fatetur? Modales distinguit à simplicibus; & de his ferre iudicium non vult, illas condemnat releuat & annullat. Ad simplices spectat, *Propositio A. & B. quæ sunt D. Thomæ, sunt veræ.* Hoc non vult prudentissimus Præsul supra conscientiam suam assumere: quis enim priuatus Antistes hoc audeat definire & resoluere? Quid ergo præstat? Dixerant olim Parisienses: *Propositio* A. *est hæretica. Propositio* B. *male sonans. Propositio* C. *in bonos mores peccat. Propositio* D. *est erronea.* Has Censuras Academicas, Episcopalémque illis adnexam excommunicarionis sententiam prudentissimè annullat. Definit ergo, Probabiles propositiones in materiâ, in quâ Ecclesia nihil determinauit, nec hæreticas, nec malè sonantes, nec morum corruptrices, nec erroneas esse: ac propterea *ad securitatem conscientiæ in materiâ Fidei & morum sufficere*: & hoc, vt vidimus, anno Christi 1324.

Parisienses Probabilitatem cum conscientiæ securitate componunt.

Conclusio.

Venia

Veniamus ad *Non licet.* Et ex eodem Godefrido, quomodo probari debeat, exponamus. Pro S. Thoma, vt annullandi Censuras illas obligationem persuaderet, argumentabatur. Eius verba ad hanc formam reduco. *Quæ sunt inintelligibilia, quæ manifestè falsa, & impossibilia, sunt necessariò corrigenda. Sed illæ Censuræ & Notæ Articulis D. Thomæ appositæ sunt inintelligibiles, manifestè falsæ, & impossibiles. Ergo & necessariò corrigendæ.* Nota illud *manifestè.* cuius loco, si *probabiliter* poneret, nihil concluderet: nam ex probabilitate non oritur necessitas, sed libertas: & qui necessitatem seu obligationem inferre vult, assumere certitudinem & euidentiam debet, non autem probabilitatem. 236 *Rem illicitã esse quomodo probare debeamus?*

Dabo & alium Authorem, qui de hac ipsissimâ Condemnatione post D. Thomæ mortem & ante eius canonizationem scripsit: ergo inter annum 1274. & 1323. Est anonymus, & in sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Canonicorum Regularium Bibliothecâ legitur manuscriptus. Folia habet 178. & fol. 158. sic inquit. *Vtrùm licitè possit doceri Parisiis doctrina Patris Thomæ quantum ad omnes Conclusiones eius?* Et respondet, rationes pro vtrâque parte proponendo Arguit pro negatiuâ. *Et videtur quòd non: quia per talem doctrinam *** cùm multæ Conclusiones eius sint sub pœnâ excommunicationis, & vt erroneæ condemnatæ fuerunt: videlicet, quòd multi Angeli non possunt esse in vna specie: & de multis aliis,* &c. Pro affirmatiuâ verò *Hæc doctrina vbique recipitur tanquam probabiliter vera, & continens fidem & bonos mores, quia veritas non est dimittenda propter quamcumque pœnam.* Quibus positis resoluit dicens. *Videtur mihi saluo meliori iudicio quòd nullus Articulus Parisiis condemnatus sit contra doctrinam Fratris Thomæ: & per consequens, quòd possit licitè eius doctrina doceri Parisiis, sicut alibi tanquam Catholica, nihil continens contra Fidem & bonos mores, & probabiliter vera. Quod patet discurrendo per illos Articulos condemnatos,* &c. Hunc Authorem producit P. Petrus de Alua & Astorga in Nodo indissolubili II. pag. 272. sub initium, vbi stellulæ positæ, pauca verba legi non possunt, ex contextu videtur legi omninò 237 *Author Anonymus.* *Pauca hic verba, vbi stellulæ positæ, non potuerũt legi.* *An Angeli multiplicari specie possint? Alterutrum potest probabiliter dici: neutrũ damnari.*

omninò debere, *quia per talem doctrinam suboriuntur scandala, cùm multæ conclusiones eius*, &c.

228 Considero primò rationem contra D. Thomam, & colligo summæ Angelici Doctoris Reuisores, quia ignorantes nullo modo dicendi sunt, lusisse affectibus, nam illa Conclusio, quæ in specimen ponitur; videlicet, *Repugnat plures Angelos esse in eâdem specie*, est probabilissima, & nullâ notâ inuri potest.

Affectus & praiudicia in D. Thom. audent.

Considero secundò rationem pro D. Thomâ conformatam, & disco, hanc Positionem, quam nos pro fundamento Theologiæ Moralis hodie supponimus, etiam tunc ab illius æui Doctoribus tanquam indubitatam fuisse suppositam, & sine illâ perfici Enthymema non posse. Illud compleo, & sic inquam.

Tolle maiorī, & nihil Parisiensiū Thomistarū Enthymema concludit.

In materiâ Fidei & morum ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis. Ita omnes.

Sed Angelici Præceptoris doctrina pertinet ad fidem & bonos mores, & est probabiliter vera. Ita Thomistæ apud hunc Anonymum tunc.

Ergo sufficit ad conscientiæ securitatem.

Ergo non est dimittenda propter quamcumque pœnam, &c.

Conclusio.

Consequentia est legitima. Maior communis, omniúmque Theologorum; nam contra omnes D. Fagnanus scribit. Minor est Parisiensium. Stat igitur iterum sub annum 1300. obtinuisse in Europâ doctrinam de Probabilitate, quam tuemur.

239 Interim etiam nunc nota liberiùs illo æuo de Probabilitate Theologos pronunciasse, quàm nunc. Hodie enim iudicamus subditum debere obedire superiori in materiâ probabili; nam, vt vidimus *num.* 110. libertatem de eligendâ quâlibet probabili opinione, legitima præcepta contrahunt. At Author iste (quem fuisse doctissimum negaturus est nemo, qui illum legerit) docet; non curanda esse præcepta, etsi excommunicatione & pœnis quibuscumque munita, in materiâ probabili. Periodos datas relege, & præcipuè hanc, *Veritas non est dimittenda propter quamcumque pœnam.* Et ipse *Veritatis* nomine, moralem intelligit, vt ex contextu patet. Sensit ergo, interdici

An obediēdum sit Prælato præcipienti in materiâ probabili?

Veritas moralis est Probabilitas.

interdici non posse Opiniones probabiles. Multò ergo liberiùs laxiúsque quàm hodie philosophabatur de Probabilitate discurrebat. Stat igitur iuniores, non relaxasse, sed constrinxisse conscientias; sed hoc vberiùs infra à num. 265. probabitur.

ADdere huc volo S. Brigittæ Reuelationes, inter quas vna est celeberrima, asserens, *Deiparam sine maculâ fuisse conceptam*, quæ continet doctrinam merè probabilem. Sanè Gregorius XI. anno 1377. tribus Ecclesiæ Cardinalibus, & quatuor Theologis commisit illarum examen, & fuit horum Censura, *Totum, quod in eis continetur, & veritate conspicuum esse, & sanctitate plenum, perlucidum, atque perfectum.* Easdem posteà Vrbanus VI. Gregorij Successor anno sequenti 1378. quinque Cardinalibus & septem doctissimis Viris partim Theologis, & partim Iurisperitis tradidit examinandas, & illorum auditâ Censurâ easdem approbauit, dicens. *Esse illas authenticas & veritate plenas, à Dei spiritu veraciter traditas, & ad vtilitatem legentium & audientium pro saluberrimo Fidelium dogmate in Dei Ecclesiâ in perpetuum cum deuotione & reuerentiâ studiosiùs obseruandas esse.* Vnde Ioannes de Turrecremata S. R. E. Cardinalis, *Omnes S. Brigittæ Reuelationes à Diuino spiritu veraciter emanasse, omnesque Fidei Catholicæ veritate saluâ absque doctrinæ Doctorum sanctorum iniuriâ sustineri posse: & in testimonium veritatis, quo S. Brigitta Diuini Numinis gratiâ illuminata & inspirata loquuta fuisse creditur, posse ei conuenientissimè secundum allegoricam intelligentiam adaptari illa verba, quæ olim illi sanctæ & famosissimæ viduæ Iudith, ab Oziâ Principe, & Presbyteris populi Israël dicta leguntur: Omnia, quæ loquuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.* Vide P. Hyppolytum Marraccium *in vindicatione S. Catharinæ Senensis cap.* 10.

240 *Examinantur Reuelationes S. Brigittæ.* *Iterum in examen vocantur.* *Approbantur.* *Laudantur.*

Hîc succurrunt aliquæ considerationes, quæ in multis casibus prodesse poterunt. Dico igitur, præter fidei Articulos nihil esse, quod non subsit vlteriori examini: nam probabilia discutiuntur, si fortè veritas quæsita adlucescat: & illa, quæ demonstrata creduntur, sunt errori obnoxia; in Geometricis 241 *Quæ sint errori & examini obnoxia.*

S enim

enim positiones, quas vnus Mathematicus demonstratas putauerit, dicet nonnunquam alius nondum sufficienter suaderi. [Lege illos, qui de Quadraturâ circuli, de mensurâ diagonanalis, &c. scripserunt.] Et in Theologicis (nam hæc tractamus) hanc consequentiam

An volitio ex intellectione necessariò sequatur à.

Omne intellectiuum est volitiuum.
Deus est intellectiuus.
Ergo est volitiuus.

quam plerique Thomistæ esse demonstratam contendunt, alij docent esse topicam tantùm asserentes maiorem probabiliter negari posse. Cui est & hæc similis,

An mundus esse potuerit ab æterno?

Nulla creatura potest esse ab æterno.
Filius & Spiritus sanctus sunt ab æterno.
Ergo non sunt creaturæ.

quam multi Patres veteres putarunt euidenter concludere; & tamen hodie dicimus non esse apocdicticam & demonstratiuam: quoniam maior est merè probabilis: & ideò aliter consequens illud persuademus. Hinc constat hunc esse bonum syllogismum.

242

Reuelationes S. Brigittæ ad fidem Diuinam non pertinent.

Positiones Fidei non subsunt vlteriori Theologorum examini.
Sed Reuelationes S. Brigittæ post approbationem Gregorij subfuerunt Theologorum examini, & etiamnum subsunt: vt vidistis.
Ergo, nec illas Gregorius, nec post eum Vrbanus proposuerunt, vt tenendas de fide.
Ergo, cùm non sint demonstratæ, dicendæ sunt humanitùs certæ, hoc est, fide humanâ credibiles, & summè probabiles.

An omnia dicta sanctorum sint diuinitùs reuelata?

Ratio vltimæ consequentiæ firmatur Ioannis Baptistæ Lezanæ testimonio, ait enim, *Non ea* (adde, *omnia*) *quæ in Orationibus sanctarum habentur, ipsis factas reuelationes indicant, sed ea* (esse) *quæ vel ipsæ credunt, vel existimant ita esse.* Sic ille *in Apologetico pro Immaculatâ Deiparæ conceptione, cap.* 14. Consenat P. Iacobus Salianus in Annalium Veteris Testamenti Epitome, ad annum Mundi 2276. agens enim de errore Isaaci, quando benedixit Iacobum, putans esse Esauum, scitè

ſcitè ait. *Neque enim Prophetia exêmit à fraude, quia ſpiritus Propheticus non ſemper adeſt Prophetis.* Et ad rem propriùs Ægidius Luſitanus *de Praſeruatione B Virginis à peccato, lib.3 q.6.art.4.* §.2. inquit enim, *Non omnia, quæ in orationibus ſanctorum dicuntur, dicta cenſeri ex ſpeciali aliquâ reuelatione, ſed plerunque* (ſufficit, *aliquando*) *dicta eſſe ex propriâ ſententiâ.* Stat igitur nonnullas S. Brigittæ Reuelationes eſſe merè probabiles: vt illa de Immaculatâ Conceptione, &c.

Videamus ergo modò, qualia elogia cadant ſuper has opiniones probabiles.

Primò dicuntur *veritate conſpicua*, quia humanitùs eſſe veræ cenſentur: *ſanctitate plena*, quia ad morum reformationem ſunt vtiles: *perlucida*, quia lumini rationis conſonæ: *perfecta*, quia nullum peccatum inuoluunt. Dicuntur ſecundò *eſſe authentica*, quia in iudicio contradictorio examinatæ, non ſunt exiſtimatæ fictæ, ſcriptorum imprudentiâ aut malitiâ, vt ſolent aliquæ, ſed ab ipsâ S. Brigitta aſſertæ. Tertiò *eſſe veritate plena*: tum, quia veritas frequenter pro veracitate ſumitur; & hanc Diuam veracem fuiſſe certum eſt: tum, quia probabilitas eſt virtualiter veritas, vt ſtatim dicemus. Quartò, *eſſe à Dei ſpiritu veraciter tradita*, &c. *à Diuino ſpiritu veraciter emanaſſe*, &c. quia à ſancta ſuo Confeſſario, & poſteà ab hoc nobis veraciter (ſine vllo mendacio) relatæ. Quintò *ad legentium audientiúmque vtilitatem obſeruanda*, quia doctrinam vtilem ad morum reformationem, continent. Sextò, *illas ſaluâ fide poſſe ſuſtineri*: quia nihil habent contra definitiones Eccleſiæ: *poſſe etiam abſque ſanctorum Doctorum iniuriâ*, nullum enim in illis verbum eſt ſanctis Patribus contumelioſum; nullum, quod veteres, ſi qui contrarium ſenſerunt, hæreſeôs aut erroris appellet. Septimò, ad ſanctam ipſam tranſeundo ajunt *illam Numinis gratiâ illuminatam inſpiratam & loquutam* (piè) *credi*; non autem certò ſciri, aut fide Diuina credi. Et hoc quis neget? Imò, ſi aſſertiuè dicerent *illam gratia Diuina illuminatam, & aſſiſtente Spiritu ſancto inſpiratam loquutámque*, nihil adderent, quod cum probabilitate componi non poſſet. Quoniam, ſi aſſerente La-

243 *Elogia, quæ S. Brigittæ Reuelationes afficiũt, ſunt grandia; & tamen illa probabilitatis ſecuritatem nõ excedũt.*

An, & cur ſint authentica.

Veritas, an pro veracitate, an & pro probabilitate ſumatur?

ctantio Firmiano [Vide Emanoëlem Farîam *in Aganippes Prologo*: & me in Metrametrica *Apoll. Centenario*, *num.* 530. §. *Sic inuidia*, & alios.] Proba Falconia Virgilio centrones, in quibus multas circunstantias merè probabiles reperies, concinnare non potuit sine Spiritus sancti assistentia, etiam Spiritu sancto cooperante illa S. Brigitta scripserit, quæ tametsi probabilia, pietatem augent, & voluntatem Dei amore succendunt. Vnde meritò illi dicere Octauò possumus, *Omnia, quæ loquuta es, vera sunt*: nam vt diximus, probabilia virtualiter vera sunt, & absolutè dici & sentiri possunt: verax enim esset qui diceret, *Hæc propositio*, Deipara est sine labe concepta, *vera est*, & tamen probabilis est. Vnde etiam poterimus addere, *Non est in sermonibus tuis vlla reprehensio*: reprehendi enim non potest, qui loquitur vt sentit; &, vt bene sentiat, adhibet diligentiam quam debet: & sanè, quam debet, adhibet, quando adhibet diligentiam quam prudentes & probi in grauibus negotiis solent.

An scripserit Spiritu sancto cooperante.

An reprehendi possit?

344 Addam & alium syllogismum, quo Censura Cardinalis de Turre-cremata clariùs dilucidetur. Sic dialecticor.

Veritas duplex realis, virtualis.

Omnia, quæ S. Brigitta in suis Reuelationibus loquuta est, vera (virtualiter) *sunt; nec in sermonibus eius vlla est reprehensio*. Ita Cardinalis de Turre cremata Gregorio XI. & Vrbano VI. subscribens.

Sed in Reuelationibus suis aliqua S. Brigitta loquuta est, quæ in materia morum & fidei non nisi probabilia sunt. Vt patet in iis, quæ de Deiparæ immaculata Conceptione pronunciat.

Ergo in Fidei & morum materia Asserta probabilia (virtualiter) *vera sunt* (hoc est, ita se habent, ac si realiter essent vera) *& in assertis probabilibus nulla est reprehensio.*

At probabilia asserta, si in materia Fidei, aut morum sint, D. Fagnanus reprehendit.

Ergo opponitur Pontificibus Gregorio XI. & Vrbano VI. D. Fagnani reprehensio.

NOTA



NOTA.

De Iuris vtriusque Doctoribus.



A Mundi initio leges sunt, Diuinæ, Humanæ: & sicut hodie, sic etiam olim de illarum intelligentia disputabatur. Hinc orta sententiarum communium, magis communium, & minùs communium differentia, quam apud antiquos & iuniores Iurisperitos reperîmus. Quid enim aliud sententia probabilior est, quàm communior: quid minùs probabiles, quàm minùs communis? nam Iuristæ, non à ratione, sed ab authoritate procedunt. Ergo omnes Iurisperiti veteres, qui steterunt à minùs communi, D. Fagnanum condemnant, & statuunt, *Ad securitatem conscientiæ sufficere minùs probabilem.* Non est opus Legistarum testimoniis onerare Theologos: sed, si aliquando oporteat, per annos septingentos multa, ante mille etiam aliqua dabimus.

245 *De opinione communi, cõmuniore, & minùs communi.*

Quàm sit antiqua minùs communis opinionis electio?



NOTA.

An apud Cœlites locum habeant Opiniones probabiles?



NATAM cum Mundo fuisse sententiarum Probabilium securitatem vidimus. Horum vsus Euam, imò etiam Adamum à multis grauibus peccatis ante lapsum excusat. Post diluuium in Testamento Veteri, Melchisedechum, Ægypti Pharaonem; Patriarcham Iacobum; &c. in Nouo, Petrum, Paulum, & cæteros Apostolos: Augustinum, Gregorium; &c. Angelicum Doctorem (quem Christus Dominus, quòd probabilia in Fidei & morum materia

246

ſcripſerit, *bene de ſe ſcripſiſſe* teſtatur) Doctores Scholaſticos, &c. Supereſt aliquid, quod vel ad antiquitatem vel ad dignitatem Opinionum probabilium firmandam addi poſſit? In genere aut ſpecie non video: ſcio enim aliquibus Caſibus particularibus Reſolutionem quamlibet ex poſitis extendi poſſe, at nullum puto addi poſſe, qui ad aliquam ex poſitorum claſſem non poſſit aut debeat reduci. Ergo, vt Reſolutionem præcedentem confirmem, & viam ad ſequentem aperiam, Contemplationis alis ad arcem Empyream tranſuolemus: &, *An Opinionum probabilitas apud Angelos locum habeat?* breuiter diſcutiamus.

An interdū Angeli in orationib. ſuis probabiles opiniones ſequantur.

247 Sicut ſingulis hominibus ad cuſtodiam Angeli deputantur, ſic & ſingulis prouinciis & regnis. Probatur illud prius ex S. Hieronymo *ſuper Matth. cap.* 13. dicente. *Magna dignitas fidelium Animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu Natiuitatis in cuſtodiâ ſuâ Angelum deputatum*: hoc autem poſterius ex Deuter. 32. ibi enim. *Quando diuidebat Altiſſimus gentes, & ſeparabat filios Adam; conſtituit terminos eius iuxta numerum Angelorum Dei.* Sic Haræus *Dan.* 10. interpretatur. Vtrumque connexuit & dilucidauit Theodoretus apud Pererium *libr.* 12. *in cap.* 10. *Ezechielis*, vbi aſſerit, *Singulis Angelis vniuſcuiuſque noſtrûm creditam eſſe curam*, &c. *Archangelis verò illud munus iniunctum eſſe, vt gentium ſint Præfecti*, &c. Conſonat Iſidorus *de ſummo bono*, dicens, *Singula gentes prapoſitos Angelos habere creduntur*, &c. *Omnes homines Angelos habere putantur*, &c. Et quod mireris, Venerabilis P. Richalmus, Ordinis Ciſtertienſis, cuius habeo reuelationes manuſcriptas, ſe cœlitus didiciſſe teſtatur, non hominibus ſolùm, ſed & locis Angelos præpoſitos eſſe. Si hoc verum, in tranſmigratione Iſraëlitarum, regionis Angelus manſit in Palæſtina: populi Angelus iuit in Babylonem.

An non ſolū ſinguli homines, ſed & ſingula gētes Angelos cuſtodia & præſidij gratia habeāt?

Daniel. 10.

De Angelorum certamine.

Ponamus ergo ob oculos Perſas, Græcos, Hebræos, quorum Angeli Cuſtodes pugnauiſſe dicuntur. Textum ipſum produco. *Numquid ſcis, quare venerim ad te? Nunc reuertar, vt prælier* (diſputem) *aduerſus Principem* (Angelum Cuſtodem) *Perſarum. Cùm ego egrederer, apparuit Princeps* (Angelus Cuſtos) *Græcorum, veniens. Verumtamen adnunciabo*

ciabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis (in Decreto Diuino.) *Et nemo est Adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël Princeps* (Angelus Custos) *vester.*

Scio Cassianum *Collatione VIII. cap.*13. itémque S. Hieronymum, vt innuit D. Thomas 1.*part.quæst.*113. Principum horum nomine Angelos malos intelligere, at ego S. Gregorium, Ordinis nostri decus, *lib.*17. *Moral cap.*7. & communem opinionem sequutus, Angelos bonos, regnorum & prouinciarum Præsides & Custodes intelligo. *Inter ipsos quoque Angelicos spiritus*, inquit Gregorius, de Sublimibus seu Cœlitibus disserens, *præliando certamen agitur.* 248 *Angeli hi, qui præliari dicuntur fuerintne boni, an mali?*

Sed quomodo præliantur Angeli? Disputando: locus enim in quo Philosophi disserunt disputántque, etiamnum *Gymnasium*, & *Palæstra* vocatur, *Certaménque* ipsamet literaria contentio, & in Hispaniâ Poëtica certamina frequenter videmus institui. Cicero *lib.*1. *ad Attic. Epist.*11. hunc modum loquendi confirmat. *Ego*, ait, *quamdiu Senatûs authoritas mihi defendenda fuit, sic acriter & vehementer præliatus sum, vt clamor concursúsque maximâ cum laude fieret* 249 *Quomodo in cœlo prælientur Angeli.* Gymnasiũ, Palæstra, Certamen, *voces Academicæ sũt.*

Librum vitæ, seu *scripturam veritatis* æternum Decretum esse dixi, sequutus Cornelium à Lapide, qui sic ait, *Scriptura veritatis vocatur hîc Dei Decretum, eò quòd instar scripturarum fixum & firmum sit; nec obliuione aut tempore mutatur.* *Liber vitæ, & scriptura veritatis, quid?*

Sed qualis erat hic sanctorum Angelorum conflictus? qualis eorundem disceptatio? *Cum sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris*, inquit Propheta Rex *Psalm.*17. Agebant Israëlitæ cum Ethnicis, & occlamabat Gabriel (Angelus Hebræorum) *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*, & vt illos amoueret periculo, vt restituerentur patriæ desiderabat. Erant multi in Dei populo boni, & illorum exemplo Persæ plurimi conuertebantur. Hanc ob rem Persarum Angelus Hebræos in captiuitate mansuros fore contendebat, vt Sparti ad vnius Dei cultum reducerentur: & contrà instabat Israëlitarum Angelus, vt releuaretur captiuitatis & exilij sententia, ne Gentilium moribus corruptis imbuerentur. Et tandem 250 *Adagium Hispanum.* Dime con quien, andas, dir透 quien eres. *Angelorum regnis præpositorum disertatio.*

Græco

Græcorum Angelus, vt suis prospiceret, Hebræos in captiuitate detineri, & Persidem à Græcis occupari volebat, vt hi illorum consortio ad veri Dei cognitionem venirent. Consono Cardinali Vgoni de S.Charo hunc locum his verbis illustranti. [Bonus Angelus Persarum nolebat Iudæos exire de Perside, vt ibi adhuc purgarentur; & vt populus Persarum, inter quos erant, in fide vnius Dei per eos edoceretur. Hoc idem volebat de Græcis Angelus Græcorum: volebat enim vt Iudæi simul cum Medis & Persis translati ad Græcos, ibi cultum vnius Dei propagarent.]

251 Iam Deus captiuitatis terminum prædefiniuerat. An ne audebant hi Angeli gloriâ Diuinâ superfusi, contra Numinis prouidentiam & voluntatem definitiuam mussitare? Respondet breuiter & doctè Cornelius: *Græcorum Angelum ignorasse Decretum Dei de tot annis dandis regno Persarum: aut, si illud sciuit, putasse illud non esse absolutum, sed conditionatum: nam & Angelus Danielis ei*, cap.seq.vers.2. *tres tantùm Reges Persarum numerat, qui in Perside regnaturi sunt. Fortè hic Angelus ex hisce & aliis argumentis opinatus est instare finem regni Persarum, petÿtque illud ad Græcos transferri, tempúsque accelerari, ac proinde Hæbreos non dimitti, vt Græcis mox regnaturis prodessent.* Ecce Cœlites beatifico lumine suffusi aliqua nesciunt; circa aliqua probabiliter opinantur, & vbi ratio manifesta non suppetit, vtuntur opinione probabili. His positis Assertiones sequentes subijciamus. Sit

An aliquis voluntatem suâ Angelus non conformet Diuinæ?

An Angeli omnia sciāt? An de reb. aliquibus probabiles opiniones habeant?

Prima. *Gloriosi spiritus, nec mortaliter, nec venialiter, nec philosophicè peccare possunt.* Vnde non inferas cum Mahometanis Cœlitibus omnia esse licita, sed illos ea facere non posse, quæ si per impossibile facerent, aliquo ex his modis peccarent.

Angeli peccare non possunt.

Secunda. *Angelus, qui voluntatem Dei definitiuam noscit, non potest optare contrarium.* Patet: quia sunt Dei voluntati conformes; vnde Diuinâ institutione formati quotidie dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ.* Sic omnes. P. Pererius *in Ezech. lib.* 12. *pag.* 394. aliqua ex D. Thomâ 1.*part.q.*113.*art.*7. præmiserat, & subiunxit. *Nec his diuersa sentiunt Lyranus & Carthusianus in explicatione huius capitis.*

Voluntas sanctorum Angelorum semper est Diuinæ conformis.

Censent autem dimicationem & pugnam inter Angelos bonos non ita esse intelligendam, vt boni Angeli voluntate absolutâ discordent inter se, nedum mutuis dissideant odiis: sed quia quoad non est ipsis Dei sententia & voluntas manifesta, populorum, quibus præsunt, diuersa merita & demerita exponunt coram Deo, & diuersos ab ipso effectus postulant. Cùm primùm autem patefacta est ipsis Dei voluntas, ac sententia, cessat omnis illorum dissentio; summáque concordiâ id omnes sentiunt & volunt quod Diuinæ voluntati consentaneum esse cernunt.

Tertia. *Persarum & Græcorum Angeli voluerunt de facto id, quod nolebat Deus, & tamen nullo modo peccarunt.* Patet illud prius; quia volebant, vt Hebræus populus in captiuitate detineretur; & Deus absolutè volebat, ne detineretur, vt manifestauit euentus, nam ille fuit à captiuitate liberatus. Patet ex Assertione I. hoc posterius. Sed cur non peccarunt illi Angeli? Quia definitiuam illam Dei voluntatem inuincibiliter ignorabant: quia illud Decretum esse conditionatum probabiliter opinabantur; quia habebant argumenta grauia & probabilia, quibus suam opinionem fundarent: vnde si illud, quod *à cap. 11 vers. 2. Danielis* sumebant, erat probabilius, Gabriël & Michaël sequebantur opinionem minùs probabilem: &, si minùs probabile, iam ipsi probabiliori opinione relicta, minùs probabilem sequuti sunt. 252 *An aliquãdo Angeli velint quod Deus non vult? An possint minùs probabilē opinionem amplecti?*

Proderit hîc D. Fagnani verba ἀπόθεωσι scholasticâ promouere ad Empyreum. Ille, vt vidimus *num.* 19. eum, qui ratione (graui) ductus, & Ecclesiæ declarationem (inuincibiliter) ignorans, Patrem & Filium, aut esse inæquales in personalitatibus, aut realiter distinctos in naturâ asserit, ab hæresi & peccato excusat: & hæc doctrina etiam in Angelis debet habere locum. Nam sicut homo tenetur assentiri reuelatis diuinitùs; ita & Angelus. [Illud *ita* assensûs exercitium afficit, non speciem: nam Angeli gloriosi Fide carent, & tamen per virtutes & qualitates analogas reuelationi Diuinæ assentiri tenentur.] Sicut homo suam debet voluntatem conformare voluntati Diuinæ præceptiuæ; ita & Angelus definitiuæ. Sicut homo peccat, quando voluntatem suam voluntati Diuinæ præcipienti conformare non vult; ita & pecca- 253 *Doctrina D. Fagnani contra D. Fagnanum vrgetur. Angeli & Homines compositi. Videat Lector, an non bene doctrinā D. Fagn. sequamur?*

ret Angelus, nisi suam conformaret Diuinæ definitiuæ; &, quia peccare non potest, aliter velle, quàm Deus vult, non potest: & quia aliter velle, quàm Deus vult non potest, ideò illle peccare non potest. Sicut homo, quando Dei voluntas

254 *Volũtas Dei, nisi sufficiẽter creaturæ notificetur & intimetur, non obligat.*

præceptiua (puta illa, quæ præcipit, vt Deum esse trinum in personis, & vnum in substantiâ credamus) non est sibi sufficienter notificata & intimata, inuincibiliter veritatem ignorat; adeóque si habeat rationes graues, & ducatur fortibus ratiociniis, potest sine peccato & hæresi aut personas diuinas esse in naturâ realiter distinctas, & inæquales credere, modò absit pertinacia, & errorem suum contra Ecclesiam non defendat; sed illum teneat, quòd putet nihil se contra Ecclesiam defendere: & sit aliter sentire paratus, si quando aliter illum Deus, aut immediatè per se, aut mediatè per Ecclesiam instituat: ita Græcorum, & Persarum Angeli, quando voluntas Dei definitiua (puta illa quâ absolutè; nempe Decreto nulli conditioni subnixo; vult Israëlitas Deus ab exilio & captiuitate liberare, & ad patriam postliminio reducere.) non erat sibi sufficienter notificata & intimata, veritatem inuincibiliter ignorabant; adeóque habebant enim fundamenta grauissima & argumenta fortissima, potuerunt sine peccato, sine hæresi, sine inobedientiâ aut contemptu, voluntatem illam Diuinam, aut reuerà non dari, aut si daretur, non esse absolutam & definitiuam, sed tantummodò conditionatam supponere: aberat enim omninò pertinacia; ideò enim illam opinionem tuebantur, quòd putarent, se nihil contra Diuinam Veritatem tueri, & erant aliter sentire parati, si quando aliter illos Deus aut immediatè per se, aut mediatè per illuminatiores Angelos instituerent.

255 *An velit Deus, vt homines intelligant, & res perfectiùs, quã Angeli?*

Ecce doctrina de Probabilitate in ipsomet Empyreo, apud Angelos gloriosos locum habet: nec enim omnia illi sciunt; & in his quæ inuincibiliter ignorant, probabilibus argumentis ducuntur, nec semper probabiliorem nec materialiter tutiorem partem sequuntur: ergo exorbitat, quicumque existimat, velle Deum homines perfectiùs intelligere, amare & operari, quàm Angelos.

Porrò

Porrò Angelos gloriosos, sequi interdum opinionem minùs probabilem, constat ex doctrinâ ipsâ Danielis quam dilucido: nam in quæstione, qua examinabat, Quidnam esset ad Dei maiorem gloriam? An Hebræos in captiuitate remanere, an ad patriam redire? altera esset probabilior, & altera minùs probabilis. Ergo necessariò dicendum est, (siquidem duo Angeli habebant hanc, & duo alteram) duos Angelos habuisse probabiliorem, & duos minùs probabilem. Si dicas vtramque fuisse æquè probabilem, nec verum dices, nec ad rem. *Non verum*; nam Angelorum, qui Græcis & Persis præsidebant, opinio (quam esse reuerà falsam, posteà euentus edocuit) videbatur omninò probabilior; quia ex reuelatione deducebatur: [Supponebat enim citò Persarum regnum extinguendum *ex Dan. cap.* 11. vbi lego. *Quartus* (Rex) *ditabitur opibus nimis*, &c. *concitabit omnes aduersus regnum Graciæ. Surget verò Rex fortis*, &c. *& cùm steterit, conteretur regnum eius*, &c.] cùm tamen aliorum Angelorum opinio ex ratione naturali tantummodò. Dicebant illi: Angelus, à Deo missus, vt Danielem instituat, quatuor tantùm Reges numerat, instat ergo Monarchiæ Persicæ terminus & excidium. Errarunt autem in hoc probabili discursu Angeli, circa Græciæ & Persidis Principes: nam Angelus ad Danielem missus tantùm dixit quatuor Reges futuros, non autem dixit illos tantùm esse futuros. *Non ad rem*; nam D. Fagnanus non docet, debere nos sequi probabiliorem opinionem, sed materialiter tutiorem, probabilior sit, aut minùs probabilis hæc. Vnde in materiâ ieiunij, licèt probabilior sententia doceat, nos posse in collatione sumere octo vncias, alia minùs probabilis dicat sex, alia adhuc minùs probabilis quatuor, cùm secunda sit tutior primâ, & tertia secundâ, debebimus amplecti tertiam minùs probabilem, relictâ secundâ & primâ multò probabilioribus. Sed hanc sententiæ seueritatem (aut rigidissimam crudelitatem veriùs) gloriosi Angeli in suis operationibus non morantur. Ergo nolunt esse D. Fagnani discipuli. Antecedens persuadeo. Istaëlitas ex exilio & captiuitate, egressuros aut non egressuros fore tunc, erat certum: nam inter duas contradictorias medium non datur.

256 *An Angeli minùs probabiles sententias aliquando sequantur.*

De Appellatione.

An illud tãtùm verbum dixit, *an verbum* futuros *afficiat?*

257 *An Angeli tutiores opiniones sequantur?*

An-ne in collatione D. Fagnan. tam rigidã legem obseruat?

Hanc ipsam absolutam egressionem aut non egressionem oriri à Decreto Dei absoluto, (videlicet ab hoc, *Volo, vt egrediantur*; aut ab hoc, *Volo, vt non egrediantur*) certum erat similiter. Ergo, si Angeli materialiter tutiorem debebant opinionem sequi, neutrum poterant velle, quoniam volendo alterutrum se exponebant periculo volendi illud, quod Deus nolebat. Ergo debebant dicere, *Quaenam sit tua voluntas, Domine Deus, nos inuincibiliter ignoramus. Habemus argumenta grauia*, adeóque probabilia, *pro vtrâque sententiâ. Si volumus, vt egrediatur populus, nos exponimus errandi periculo: quia forsitan tu vis, ne egrediatur. Si volumus, vt non egrediatur, etiam eidem periculo sumus obnoxij, quia forsitan tu vis, vt egrediatur. Ergo, vt ab omni periculo immunes simus, neutrum determinatè volumus, sed in genere dicimus, quacumque illa sit, fiat voluntas tua.*

Qualiter procedere Angeli illi ad mentem D. Fagnani debuissent?

253 Sic debuissent procedere illi Angeli, si fuissent Fagnanistae; sic instituerentur, si D. Fagnanum consulerent; at illi, vt vidimus, opinionem materialiter minùs tutam sequuti sunt, ergo non morantur Angeli D. Fagnani doctrinam. Ergo illa euidenter est falsa. [Et hic obiter noto illum, qui sequitur opinionem minùs probabilem, aut materialiter minùs tutam, non solùm à mortali & veniali, sed etiam à philosophico peccato esse liberum: nam Angeli gloriosi in illo felicitatis statu perfectissimi sunt; adeóque ne quidem philosophicè peccare possunt.]

An qui opinionē minùs probabilem aut minùs tutā amplectitur peccet philosophicè?



NOTA.

259 DICES. Hae sacrae scripturae Interpretationes, quae in totâ hac Responsione ad secundam Obiectionem adductae, non nisi probabiles sunt: nam sanctorum & Patrum testimonio & authoritate fundantur, cùm tamen alij sancti, & alij Patres sint, qui illos eosdem locos aliter accipiant & exponant.

An, quae à nobis produntur, tantummodò probabilia sint?

Respon

Respondeo primò non esse aduersus Patrum sententias, quæ diuersæ: adeóque siquæ diuersæ sint, non militare contra nos. *An nobis probabilia sufficiant?*

Respondeo secundò mihi Probabilitatem sufficere, vt intentum euincam: & D. Fagnano nihil prodesse, quod non sit euidens. Id pluries ostendo & demonstro. Lege interim Monitum Dialecticum, quod sub finem syntagmatis huius reperies, *à num.* 23. *An etiam D. Fagnano?*

Respondeo tertiò ex hac ipsâ Obiectione communem doctrinam iterum contra D. Fagnanum demonstrari. Attende. 260 *An hæc ipsa Obiectio cõtra D. Fagnanum militet?*

Hæ sacræ Paginæ Interpretationes sunt in materiâ Fidei & morum, & tamen, vt ait, tantummodò probabiles sunt, quia sunt Patres & sancti, qui oppositam opinionem tueantur.

Ergo Patribus & sanctis licuit in materiâ Fidei & morum habere probabiles opiniones contrarias.

Ergo primò, *doctrina de liberâ probabilium opinionum electione Patrum & sanctorum est. Ergo antiquissima. Errat igitur D. Faganus, cùm lectionis defectu, à Theologis iunioribus inuentam nimis confidenter affirmat.* *An communis doctrina sit antiqua?*

Ergo secundò, *nobis in conscientiâ licet vti doctrinâ de liberâ probabilium opinionum electione.* Patet, *quia idem est Deus, qui iudicat viuos & mortuos. Ergo idem, qui veteres Sanctos, & Patres, & qui Theologos, qui à centum annis scripserunt. Atillis sub Deo licuit in materiâ Fidei & morum habere diuersas & aduersas sententias: Ergo sub eodem Deo id ipsum etiam nobis licuit. Ergo & nobis, & Theologis, qui nos sequentur, similiter id ipsum licebit.* *Deus vnus est.: Ergo quod Patribus & sanctis licuit, etiam nobis licebit.*

Stat igitur (Amice Lector) tam claram certam & indubitatam esse communem Theologorum doctrinam; tam euidenter falsam D. Fagnani opinationem, vt quidquid pro illo dicatur cogiteturve, in ipsum necessariò resiliat. *Conclusio.*

Respondetur ad tertiam.

261 *An probabiliũ sententiarum varietas ad conscientiæ securitatem conducat?*

AIo non ad animarum pernitiem, sed ad securitatem, conducere probabilium sententiarum diuersitatem. Id probant illi omnes Theologi, quos D. Fagnanus adducit.

Ratio ab his Authoribus inculcata est euidens & manifesta, & à D. Fagnano inusta crudeli censurâ: nam Alexicopharmacum venenum dicit, lucem tenebras & salutẽ ipsam vocat animarum pernitiem. Sanè conscientiæ perniciosa sunt præiudicia, & D. Fagnanus perniciosè laborat: & ad sententiam definitiuam procedit, antequam vel minima circumstantia probetur. Nos dicimus, *Doctrina, quæ negat probabilitatem ad conscientiæ securitatem sufficere, vniuersaliter sumpta (nam debet omninò contrahi & limitari) est hæretica; & totam hæresim Iansenianam inuoluit*, & hoc clariùs luce meridianâ probamus: ipse dicit, *Omnium Theologorum Iuniorum doctrina est ad animarum pernitiem.* Et contra omnes inuehitur, & nihil probat, Nos dicimus hanc ipsam censuram esse improbabilem & temerariam, eámque ipsam contra Orthodoxam Fidem & bonos mores militare.

Doctrina D. Fagnani qualis?

262 *An D. Fagnanus sciat Logicam.*

Et quid faciemus quæso contra hominem quem Dialectica deficit? Probabilem ille sententiam ad conscientiæ securitatem non sufficere probat, quia hæc doctrina est ad animarum pernitiem, & posteà esse ad animarum pernitiem suadet, quia probabilitas ad conscientiæ securitatem non sufficit. Ecce circulum manifestissimum! Ego autem bonæ insistens Dialecticæ sic inquam.

Consideretur hic syllogismus.

Si per impossibile opinio probabilis ad conscientiæ securitatem sufficeret, doctrina de probabilitate, quam D. Fagnanus impugnat, non solùm non esset pernitiosa, sed esset valde vtilis in Ecclesiâ Catholicâ.

At opinionem probabilem ad securitatem conscientiæ sufficere certum omninò est.

Ergò similiter certum est, hanc doctrinam, non solùm non esse pernitiosam, sed valdè vtilem in Ecclesia Catholica.

Conse

Consequentia est legitima : maior est euidens : minórque Resolutione tertiâ vndecimâque demonstrata.

Hanc consequentiam dilucidant illa, quæ ex Bassæo & Caramuële D. Fagnanus adducit, contra quæ vociferari & obloqui poterit, at argumentari in formâ & figurâ non poterit. 263
Interim Bassæi & Caramuëlis locos apud D. Fagnanum inuenies, modò ne nihil addidisse videar, dabo verba fratris Hieronymi, quem meritò P. Diana part. 10. doctissimum vocat: nam in summâ Morali tract. 1. difficult. 5. num. 3. sic inquit. *De lo dicho se colige, quan iniustamente se quexan los que sienten, que en materias morales aya diuersidad de opiniones; antes es particular merced de Dios, en que resplandeze su Diuina prouidencia, pues ha criado y cria cada dia tan diferentes ingenios, para que dellos naciessen diuersos pareceres, y opiniones, con que non fuese vnico el camino de obrar en las acciones morales, sino antes tan multiplicado, dilatado, y ancho, quanto lo son los sentimientos en las materias controuersas, y dudosas. De mas de que con la variedad de opiniones se haze mas suaue el yugo de Christo, porque quiça, si en las materias morales no huuiera sino vn camino, que dára mucho mas peligroso a las consciencias que fauorable; pues apretarlas demasiadamente es affligir y atormentar a las almas temerosas, y llenarlas de escrupulos, y no se puede negar, sino que en esto ha andado muy bien Diana, aunque algunos poco doctos han venido a dezir que ha ensanchado las consciencias, y dado licentia para pecar; pues es cierto, que no enseña opinion, que no sea probable per principia intrinseca, aut extrinseca y assi sin razon le calumnian.* Hæc ille.

In probabilium opinionum varietate summa Dei prouidentia & misericordia relucet.

Inde demonstratur verè dixisse Christum iugum meum suaue est, & onus meum leue.

Hæc sibi dicta existimet D. Fagnanus, qui Dianam de Ecclesia Romana bene meritum ineptissimis iniuriis opleuit.

Si Frater Hieronymus videatur iunior, vocabitur in subsidium sapientissimus Vir Ioannes Gerson, Parisiensis Cancellarius, qui libr. 4. part. 3. de vitâ spirituali litt. O. sic inquit. 264
Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia. Imò nec venialia, præsertim sub verbo vniuersali, maximè cùm obseruatio communis obnititur, obuiátque, vbi non sunt certissimi de re. Nam per huiusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras & nimis strictas in rebus vniuersis (id est in opinionibus)

De Opinionum delectu. Inter probabiles benigniores eligendæ sunt.

nequa

nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundius; quia desperatiùs, demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietatiui simplicium, vt eis sit solidum nihil. Nam, si beatus est vir, qui semper est pauidus & veretur peccata sua, *obseruandum tamen est illud Terentianum*, Ne quid nimis, *&* Ne scirpo nodum quærant. *Demum quid prodest; imò quid non obest, coarctare plus iusto mandatum Dei, quod est latum nimis? quid igitur expedit amarius, grauiusque reddere illud Christi iugum*, quod suaue est, & onus leue? *Nam, etsi contemptus ex hac laxatione, & dulcedine apud aliquos improbos maior oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem. At apud alios bene institutos gratiarum resonabunt actiones. Præstabitur etiam sedulius seruitium Domino, cuius mandata grauia non sunt, quippe qui non vult nos tentari & grauari supra id quod possumus. Hucusque Ioannes Gerson, cuius verba verè aurea, vtinam aliqui in scribendo & consulendo obseruarent.* At ego D. Fagnanum admoneo, vt vltimam lineam consideret, nam ex oppositâ Gerson sententiâ, vt erat doctissimus, hanc Assertionem, *Deus impossibilia iubet* inferri præuidet admonétque: quod ipsum Iansenistæ sciunt, cùm sub Merendæ chlamyde hæresim proscriptam conantur in scholam reducere; quod autem D. Fagnanus, aut non potest, aut non vult scire.

Reijcienda est D. Fagnani opinatio, ne Deus impossibilia homini iubere dicatur.

Respondetur ad quartam.

265 *An iuniores conscientias relaxauerint? An eas potiùs constrinxerint?*

Dico Iuniores constrinxisse conscientias, & Ethicam seueriorem reddidisse, quod videtur ignorare D. Fagnanus, cùm contrarium inculcat, & hoc non potero meliùs probare, quàm Iuniorum & Veterum opiniones inter se conferendo. [Vide nihilominùs *n.* 230. *&* 239.]

266 *An plura beneficia aliquis habere possit? Corduua opinio.*

Hodie supponitur à recentioribus plura beneficia simul nec recipi, nec retineri posse: quod est dicere, non solùm illa illicitè, sed etiam inualidè recipi. At olim Corduua dixit, recipi quidem illicitè, sed validè. Vnde concludit, non posse illa recipi, at qualitercumque recepta posse licitè retineri. Et quia illum reprehendi ab eius coætaneis non video, iudico hos

hos eius sententiam iudicasse probabilem. [vel (N. B.) iudicasse certam ; si, vt D. Fagnanus vult, nihil antiqui sciuerunt de Opinionum probabilium securitate.] Recentiores igitur conscientias contraxerunt, non relaxarunt.

A Iunioribus quæritur, an, qui omittat vnum, aut alterum psalmum in officio Diuino, peccet mortaliter ; & laxa censetur iuniorum aliquorum sententia, quæ docet vnius tertiæ omissionem non esse mortaliter peccaminosam : & tamen Veteres in hâc materiâ laxissimè sunt philosophati. Gordonius enim, & ante eum Richardus, Angelus, & Gerson omittendi Diuinum Officium consuetudinem lethalis culpæ damnant non autem vnius aut alterius diei negligentiam Et Seruatius de Lairuelz hanc docet opinionem esse conformiorem Iuri antiquo, *dist.* 91. *&* 92. *An omittere Officium diuinum sit mortale ?*

Hodie supponitur Subdiaconum à die suæ ordinationis inclusiuè ad officij Diuini recitationem teneri ; & solùm quæritur, à quanam horâ (an videlicet à tertiâ, an verò à vesperis) hæc sumat initium obligatio ? At Veteres, Subdiaconos à legendi officium obligatione liberarunt Ratio est, quia in toto Iure Canonico non reperitur vel vna linea, quæ illos obliget. Tenentur ergò consuetudinis Iure, vt docet Leander de sanctissimo Sacramento *part.* 6. *tract.* 8. *quæst.* 44. vbi citat Caietanum Vgolinum, Philibertum, Nauarrum, Azorium Trullenchium, Suarium, Villalobos, Baunij, Ioannem de S Thoma, Pradum, Verricellium, Lessium & Reginaldum. Vel qui oppositum sentiat Canonicam legem exhibeat, quæ Subdiaconos Diaconósque obliget ad Diuinum officium. Consuetudo tempus diuturnum postulat, vt in virtualem legem transeat. Ergo strictiùs hodie Iuniores Subdiaconos Diaconósque, quam antiqui obligamus. Idem de Monialibus, & Monachis, nondum ad ordines promotis dico. Iuniores, vt illos obligemus ad solam consuetudinem recurrimus. Ergo antiqui, quando nondum hæc erat consuetudo, non potuerunt hos aut illos ad mortale obligare. 267 *An Subdiaconus teneatur ad horas Canonicas an Diaconi ?* *An Monachi & Moniales ?*

Ad ieiunium & cæteras obseruantias transeo. Hodie quæritur, an possint Oua comedi diebus dominicis in quadragesimâ & diebus ieiunij extra quadragesimam : & qui asserunt 268 *De ieiuniis quomodo illa obligent ?*

De collatione vespertina. ab aliquibus censentur laxi; Quæritur etiam, an in collatione vespertinâ die Ieiunij possumus comedere sex vncias. Et quia Leander octo concessit, impugnatores habuit: [Vide ipsum *part.3.tract.5.disp.4.quæst.13.* §.*Nec obstat*,] cùm tamen antiquorum sententiâ comedere carnes totâ quadragesimâ non sit mortale. Ita Caietanus *in summ. verb. Ieiun. cap.4 & 22. quæst.147.art.3.* §. *Ad huius euidentiam*, testibus Vega *in sum. part. 1 cap. 14. casu 35.* & Ludouico de S. Ioanne *in summ. quæst de Ieiunio art.4.dub.1.* Diana *part. 10.tract.15.resol.44.* Pasqualigo *de Ieiun. decis. 50. num. 2.* & aliis. Doctissimus P.Leander *part.3.tract.5. quæst 8.* vult vindicare hanc opinionem, & ab illâ remouere Caietanum, & ait. *Non bene Vega & Ludouicus de S. Ioanne dicunt Caietanum docere non esse mortalem transgressionem ieiunij: id namque nullo modo affirmat; sed tantùm docet non esse mortalem ex vi Iuris, bene tamen ex vi consuetudinis.* Sed hoc non militat contra nostram Resolutionem, propter duo *primum*, quia hæc interpretatio exponit periculo obseruantiam, quam hodie extra dubium obligatoriam esse volumus: nam (1) consuetudo, vt sit obligatoria, debet introduci à scientibus se non esse obligatos, volentibus & potentibus se ad mortale obligare (quia se posse ad veniale obligare homines in materiâ graui, probabile est.) Et hinc multæ consuetudines cespitant: nam (2) consuetudo est res facti, & factum debet plenè probari: nam (3) Theologi tam multos à Ieiunandi obligatione eximunt, vt potiùs fortè sit dicendum, non dari ieiunandi consuetudinem, quàm dari. *Secundum*, quia ego non volo persuadere non esse nunc peccatum non obseruare ieiunium, sed veteres id asseruisse: vnde sic argumentor. Ieiunium teste Caietano, à Leandro & Pasqualigo explicato, nunc obligat titulo consuetudinis, non autem ex Iuris præscripto: ergo olim quando Ius Canonicum fuit scriptum, antequam hæc introduceretur consuetudo, non obligabat sub mortali: hodie igitur strictiùs obligat, quàm olim. Non ergo Iuniores relaxamus conscientias, sed obstringimus. Prætereà quidquid de Caietano sit, Ieiunia ab Ecclesia indicta non obligare sub mortali, docuit expresè Cardinalis *in cap.2. de Obseru. Ieiunior.* ibi enim expresè pronunciat

Quid sentiat Caietanus?

Qualis esse debeat consuetudo vt obliget? an possit obligare ad veniale? An Consuetudo sit res facti?

269 *An factum debeat probari?*

Qua nunc obligāt iure consuetudinis antequā esset consuetudo non obligabant.

nunciat non obseruantem ieiunia ab Ecclesiâ præscripta, non peccare mortaliter sed venialiter; nisi in casu, quo ex contemptu procederet; videlicet, si nolit quis se præcepto Superioris subijcere. Pro hac sententiâ citat Cardinalis Archidiaconum *in dist.* 25. §. *Aliàs ea demum*, quem Abbas *cap.* 1. *de Obseruat. ieiun. vers. vlt num.* 11. & nuper Leander *part.* 3. *tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 7. pro oppositâ sententiâ adducunt ex comment. *in cap. vtinam* 76. *dist.* Ergo de Archidiaconi mente hinc inde sunt rationes probabiles, ex quibus non ineptè quis colligat illum diuersis locis & temporibus de hac re habuisse diuersas & aduersas sententias. Conueniunt tamen omnes Ioannem de Fontanâ, quem Archidiaconus producit Cardinalis sententiam propugnasse. Consentit Cardinali Angelus *verb. ieiunium num.* 14. & *verb. Inobedientia in principio.* docens sublato contemptu soluere ieiunium non esse peccatum mortale. Citant pro hac sententiâ Angelum Syluester, Leander & alij. Hanc etiam habuit opinionem Richardus à media Villa *quodlib.* 1. *q.* 19. apud Angelum *loc. cit.*

Opinio Cardinalis.

270 *Opinio Archidiaconi.*

Opinio Abbatis.

Opinio Angeli Richardi & aliorū.

Disputant Iuniores, An, qui post Epistolam venit audiat missam integram? & tamen veteres illum, qui toto anno missam negligeret, à mortali excusabant, ita illi, quos tacitis nominibus refert pientissimus & Doctissimus P. Franciscus Suarius *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 88. *sect.* 1 quem citat eruditissimus P. Leander à sanctissimo sacramento *part.* 3. *tract.* 1. *disput.* 1. *quæst* 1. 271

Laborare die festo integra hora nunc aliqui grauiter accusant; laborare tres vel quatuor vniuersi condemnant: at olim hoc præceptum quà Ecclesiasticum est, benignissimè exponebatur. 272

An die festo laborare peccatū sit

Et vt omnia verbo comprehendam, dicimus hodie vniuersi Theologi præcepta Ecclesiastica omnia, si materia sit grauis, obligare ad mortale, & tota controuersia est in designandis terminis, qui materiam leuem à graui separent ac distinguant; adeóque quidquid D. Fagnanus argutetur, de rebus minutissimis disputamus: at apud veteres non reperiuntur eiusmodi disputationes, nec de hoc argumento opiniones probabiles; quoniam (& audiat hoc D. Fagnanus attentè) suppo-

An Ecclesiæ præcepta obligent sub mortali?

 nebant,

Veterum Resolutio. nebant, & docebant nulla Ecclesiastica præcepta obligare ad mortale, quamobrem si sine contemptu illa aliquis temeraret, aut venialis peccati esse reum, aut pœnæ obnoxium.

273 *D Bernardi opinio.* Hæc opinio fuit expresse S. Bernardi. Illam tradit non obiter, aut incidenter; sed quando de hoc argumento differit ex professo: nam à Religiosis Cœnobij Carnotensis Consultus, librum scripsit de præcepto. Et in ipso hanc doctrinam statuit. Attende.

Dicebant Carnotenses. *Ergóne ita perfectus quispiam inuenitur, cui non vel minimum aliquid interdum subripiatur de tam multis ac minutis, quæ passim vel à negligentibus Præpositis imperantur*, & Melleus Doctor *c.*28. respondet dicens, *Non cōtinuò, vt aliquid præterimus, perimus.* hoc est, mortaliter peccamus. Et *c.*29. exponit suam sententiam his verbis. *In quo inobedientiæ crimen* (peccatum mortale) *absque dubio sit, apud Samuelem aduertite.* Quasi, *inquit*, peccatum hariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere (N.B.)

1.Reg.15. *Non ait*, non adquiescere, *sed* nolle adquiescere, *vt non iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contemptio, scelus Idololatriæ reputetur. Non enim est id ipsum*,

An non obedire & nolle obedire sit idem? nolle obedire, *&* non obedire: *hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ aut contumaciæ non ferendæ*, &c. *Non ergò qualiscumque mandati præteritio criminalem* (lethaliter peccaminosam) *facit inobedientiam: sed repugnare, sed nolle obedire. Cæterum quanti* (quot) *absque illâ pessimâ & rebelli voluntate non obediunt? Quomodo itaque Monacho crimen insidiatur inobedientiæ, si toties sine crimine transgreditur quoties in transgressione defuerit huiusmodi recalcitrans & contentiosa voluntas.* At hodie docemus vniuersi Iuniores, peccare mortaliter

An violare Superiorum præcepta sine contemptu sit mortale? Religiosum, si morale sui Prælati præceptum in materiâ notabili violet, etsi desit contemptus, vel vt Bernardus loquitur, recalcitrans & contentiosa voluntas. Conscientias igitur constrinximus, non relaxauimus

274 Docti aliqui, teste Seruatio de Lairuelz *in Optica Regularium speculo* 58. *Instruct.* 1. *pag mihi* 207. asserunt Ecclesiasticas leges esse merè pœnales, nec mortaliter obligare, nisi expresse

expressè asseratur sanctionem aliquam moralem esse. Hanc opinionem citatus Seruatius censet probabilem: nam contrariam cui subscribit, vocat probabiliorem. Vide nostram Theologiam Regularem *disp* 10 2.*num*.1329. Huius antiquatæ opinionis meminit Diana *part*. 10 *tract*. 15 *resol*.44. dicens, *Leges humanæ tam Ciuiles, quàm Canonicæ possunt obligare in Conscientiâ iuxta Apostolum Rom. 13. Ideóque improbabile est quod quidam docent* (quidam videlicet antiqui, nam Iuniores tenemus & docemus oppositum) *non esse mortale secluso contemptu non parere legibus ciuilibus, vt docet Valerius & 3. vel etiam Canonicis, vt Caietanus & 2. Quamuis ad solam pœnam obligare velit Almainus, & la Cruz.* Sic lego in Compendio Dianæ impresso Antuerpiæ Anno 1660. *verb. Leges num*.8 His Authoribus addi possunt, Richardus, Angelus, Gordonius, Gerson: & qui Diuinum officium omittentes excusant, quod existiment leges omnes Canonicas merè pœnales esse, quorum opinationi fauet antiquum Ius. Vide iterum nostram Theologiam Regul. *n*. 1330.

Legicus Moralis cōsideret illud num.

275 Martinus Cromerus *lib* 2. *Colloquiorum de Religione*, sic inquit. *In rebus agendis non est ea* (Ecclesia) *tam dura, aut incogitans, vt vel temerè quibusuis oneribus filios suos, eorumque conscientias pragrauare velit, vel exitialibus nexibus irretire: mater enim est non Nouerca. Absit modò contemptus, & eorum cum quibus viuimus, offensio. Quorum vtrumque expresso Dei verbo, grauissimâque pœnâ sancitum satis est ad damnationem. Et hoc videtur esse discrimen inter Christi Apostolorumque & Ecclesiæ præcepta, quòd illa citra omnem exceptionem reos tenent transgressores; hæc non item, si absit contemptus, & offendiculum siue scandalum.* Fuit autem Martinus Cromerus Polonus, Cracouiensis Canonicus, quem omnes viri boni honorarunt, & Pius Papa IV. breui Epistolio; ex quo has periodos scribo. *Ingenium & eruditionem tuam vehementer probauimus, tum animum pium & Egregium studium erga Religionem Catholicam cognouimus: quod tantò magis in Domino laudamus, quando talium virorum maiorem hoc tempore penuriam esse scimus Sed quo pauciores tui similes in isto regno reperiuntur hoc tu maiori bonorum omnium*

Martini Cromeri sententia.

Quantus fuerit Cromerus.

laude & beneuolentiâ dignus es, Hortamur vt sicut instituisti, quanto maximo potes studio talibus scriptis Catholica dogmata & statuta Ecclesiæ aduersus hæreticos tueri; & talenta quæ à Domino accepisti exercere perseueres, facturus in eo nobis quoque gratissimum, quos idoneâ occasione oblatâ, meritorum tuorum memores esse cognosces. Dabantur & hæ literæ Romæ anno 1565. & sunt impressæ in initio eiusdem libri quem cito, nequis illas ad alium spectare opinetur. Ergo illo æuo Martini Cromeri sententia erat communis; non enim aliàs prudentissimus Pius, illum vt sui æui Phœnicem coluisset, & ab eruditione pietate, & zelo Religionis laudasset; fuissétque hortatus, vt Ecclesiæ doctrinam pergeret propugnare.

276 *Alphonsi de Castro sententia.* Stabant à Cromero sub illud tempus multi Viri doctissimi, & inter ipsos, Alphonsus de Castro, qui *aduersus hæreses verb.* Ecclesia. *Hæresi 3. in fine* eiusdem opinionis meminit: aitque. *Dicamus ergò iuxta Catholicam fidem Ecclesiæ statuta non esse contemnenda: an autem quæcumque illorum transgressio sit mortalis, non dissero, quoniam video quosdam non ex infimâ Theologorum scholasticorum sorte, qui asserunt transgredientes præcepta Ecclesiæ, modò id non omittant ex contemptu, sed ex infirmitate quâdam aut fortè negligentiâ non peccare mortaliter, alios autem scio docere oppositum. Cùm autem ego hoc in opere solam fidem pertractare statuerim, de opinionibus hominum variè sentientium disputare nolo.* Erat ex benignè sentientibus inter alios P. Angelus de Clauasio Ord. Min. Obseru. Regul. qui in summâ Angelica, vt inobedientiam erga Ius Humanum mortiferi criminis arguat, ad contemptum recurrit. *verb.* Opinio, *sub finem*, ait. *Certè in isto non potest esse contemptus, & sic nec peccatum inobedientiæ.* Produxi paulò ante Caietanum differens de ieiunio sed quia eius verba sunt fortia illa subijcio. *Scito*, inquit, *quod nisi communis Christianæ Ecclesiæ interpretatio susciperet statum ieiunij non esse simplex statutum, sed habere vim præceptiuam strictè sumendo præceptum, verum procul dubio esset, quod non nisi propter contemptum transgressio ieiunij esset peccatum mortale; quoniam in simplicium statutorum materiâ transgressio medij & impeditio finis, licet sit mala, non tamen mortale inducit peccatum,*

Verba Caietani adducuntur & ponderãtur.

Quid requiratur in humano præcepto vt obliget ad mortale peccatum.

***peccatum*, *nisi materia illa ad charitatem Dei aut proximi necessaria sit*, *quod in proposito constat non habere locum*; *quia ieiunium huiusmodi constat*, *nec ad Dei nec ad proximi dilectionem esse necessarium. Et hæc dixerim*, *quia ex vi verborum nullibi ieiunium Ecclesiasticum inuenitur præceptum loquendo de præcepto strictè præcepto quodnam erit verum & strictum in toto iure Pontificio præceptum*, *loquendo de præcepto strictè.* Verba hæc relego & pronuncio nullum esse hodie Theologum iuniorem, qui illa pro fundamento auderet proponere, vel assumere: & vt hoc euidenter ostendam, duos aduoco, qui hæc verba accuratè considerent. *Ethicum* vt Conclusionem ipsam; nam, si præcepta de ieiunio non sunt verè & stricte præcepta, quodnam erit verum & strictum in toto iure Pontificio præceptum: *Dialecticum*, vt probationem; nam, si leges Ecclesiæ nisi materia illa ad Dei, aut proximi dilectionem sit necessaria, non obligant sub mortali, quæ erunt in toto Canonico Iure præcepta, quæ obligent sub mortali? nam ante Iuris Canonici lationem, diligebatur Deus, & proximus: Ergo illa ipsa, vt Deus & proximus diligantur, necessaria non sunt, sed vtilia. Suæ sententiæ videtur semper Caietanus mordicùs inhæsisse; nam rogatus, An-ne Clericus teneatur gestare tonsuram & habitum? respondet, non teneri secluso scandalo & contemptu. At hodie hæc sententia communiter ab omnibus Recentioribus, vt laxa & noxiua, reijcitur. Quod si illum rogem, Cur sine peccato possit Clericus nec habitum nec tonsuram gestare? respondet Quia Ecclesiæ præcepta secluso scandalo & contemptu in conscientiâ non obligent. Vide Dicastillum *tom. 1. de sacram. tract. 4. de sacram. Ordin. disp. 1.* vbi doctè Caietanum impugnat.

Nemo hodie ex Iunioribus Theologis audebit discurrere ex fundamentis Caietani.

An Clerici teneantur habitum & coronam gestare.

Addam & modo Ioannem Ferum, de quo P. Angelus Paciuchellius *in Epist. ad Roman. cap. 7. vers. 6.* sic eloquitur, *multa super hunc textum præclarè edisserit Ioannes Ferus*, &c. *Doleo virum alias eruditissimum in scripturis valde peritum, cuius scriptorum studio valdè delector, ita à scopo aberrasse.* Alij etiam prædictum Ioannem Ferum collaudant, & ipse in multis, omnem laudem & applausum meretur: agens autem de Ecclesiæ præceptis, sic inquit. *Christianus homo, etiam ab* 277

Ioan. Ferus quantus?

omni

Cum neque Papa, neque Episcopus, neque vllus hominum habeat ius vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi fiat eiusdem consensu? Accinuit insolens vulgus huic delirio, & Lutherus insolentior redditus, vt facto etiam Ecclesiasticas leges condemnaret, totum Iuris Canonici Corpus publicè combussit, vt Ioannes Cochlæus in vitâ eiusdem Hæresiarchæ testatur. Subscripsit huic errori Caluinus, & Cæteri Iuniores Hæretici.

Canonica iura comburit.

Et quid hîc Catholici, vt se impetui hæreticorum fortiùs & securiùs opponerent? vt potentiam probarent, statuerunt actum: quia ab actu ad potentiam legitimè dialecticamur Dixerunt ergò, *iubet: Ergo iubere potest.* Adnuit illis Apostolica Sedes & cessauit quæstio; hodiéque improbabile est Ecclesiasticas leges non obligare Conscientias, Ergo contra (& notetur hoc bene) quando aliquam sententiam, quæ ad ius humanum spectat, tolerat Apostolica Sedes, suâ approbatione & consensu, vel inuito D. Fagnano è probabili in certam & indubitatam conuertit, tacitè enim approbat legis suæ probabilem interpretationem, quam esse communem apud pios & eruditos scit, & nihilominùs in suâ præscriptâ possessione permanere permittit. 280

Argumentum ab actu ad potentiam, quam sit efficax?

Quam sit efficax illud quod in tolerantia & tanta approbatione fundatur.

ECce qualiter Veteres de Practicâ Ecclesiæ authoritate, quæ in præceptis consistit, iudicarunt! Ecce exponet periculo omnem Ecclesiasticam iurisdictionem, qui Catholicos iubeat Iuniorum sententias relinquere, & ad decrepitas Antiquorum, iam iam hodie antiquatas, opiniones reuerti. Anne illi strictiùs de speculatiuâ Ecclesiæ authoritate, quæ in Definitionibus consistit, pronunciarunt? Ne id crede. 281

Ecclesiæ authoritas duplex practica & speculatiua: explicatur.

De sanctorum Canonizatione quid Veteres dixerint, sciunt omnes; nec est, cur hîc hæreamus. Scripta illorum exstant, & legi possunt: sed quia D. Thomas inter Veteres eminet,

An sit de Fide sanctos Canonizatos esse in cælo?

——*Velut inter astra Luna minora,*

proderit eius sensum habere. Fuit P. Syluester Prierates Dominicanus, S. Palatij Magister, Vir quidem omnium iudicio doctissimus: summam edidit, quam vulgo *Syluestrinam* vocamus. Hic verbo, Canonizatio, *num.* 2. in quibusnam possit

Syluester qualis?

Cōsonat sibi verb. Ecclesia I.n.4.

errare Pontifex, & in quibus non possit, luculenter ostendit, & tandem ait, *Sed S. Thomas dicit*, *quòd* (sanctorum Canonizatio) *mediat inter prædicta*, *cuius rationem arguendo tangit: quia vtitur Papa medio fallibili*, *id est*, *hominum testimonio*, *& honor quem sanctis exhibemus est quædam Fidei professio*, *quâ sanctorum gloriam credimus; vt inquit piè credendum est*, *quod in his iudicium Ecclesiæ errare non possit.* Sanè, quæ piè creduntur, non vt certa & fide Diuinâ tenenda creduntur: vnde oportunè hîc interrogabuntur Antiqui, An liceat orare pro sanctis canonizatis? Hanc in terminis Quæstionem apud ipsos non legi: at ex doctrinâ præcedenti, quid consequenter dicturi essent, euidenter percipitur: interim, quia alij loquuntur linguis, alij calamis, alij factis, sincerè assero mihi testatum fuisse Reuerendiss. D. Bernardum Campmans, Dunensium Abbatem meritiss. & Cistertiensis Ordinis Vicarium Generalem, se in aliquibus monasteriis vidisse publicas orationes fieri pro refrigerio Animæ Abbatis N. videlicet, sancti canonizati. Vixit sanctissimè, & obiit piissimè anno Christi 1640. ætatis suæ 63. Potuit ergo accidisse sub annum 1590. id, quod narrabat. Sed vbi hodie in Europâ, qui sic exorbitet? Louanij ego sanctorum Canonizationem ad Fidem Orthodoxam spectare docui, & pro Doctorali Laureâ in publica disputatione defendi, Recentiorum doctrinæ consonans, quæ toto cœlo à Veterum opinatione semouetur.

D. Thomæ sententia.

Pro sanctorum Canonizatorum animabus nô est orandum.

Religionum & Regularum approbatio, res adhuc maioris momenti est, quàm Canonizatio sanctorum; ibi enim agitur, An vnus debeat publicè coli? hîc, an milleni qui ad cœlum ire desiderant, decipiantur; &, cùm securissimè se regi putant, in præcipitia propellantur? Ergo prouidentia Diuina tenetur non permittere, vt Ecclesia in re tanti momenti erret. Interim Melchior Canus *de locis Theologicis* docuit, summum Pontificem in Regularum & Religionum approbatione errare posse. An hoc asserit aliquis Iunior? Vide Dianam *tractat. de potestate Pontificis extra Concil.* vbi doctissimè Canum impugnat.

An in approbatione Regularum & Religionum possit Ecclesia errare?

Sed agamus vniuersim de omnibus articulis fidei. Porrò D. Iacobus Boonen in illo libello ad Regem, in quo inobedientiam

An in rebus fide credendis errare

dientiam suam excusare conatur: in quo hæresim Iansenianam propugnandam assumit: in quo, vt Cornelij Iansenij hæreses tueatur, nouas adiungit: in libello, inquam, quem an. 1651. damnauit Apostolica sedes, cuius condemnationem ego ex officio publicaui in Bohemiâ an. 1652 vnde tanto in me ille bonus senex furore exarsit, vt libros omnes Grammaticos, Mathematicos, Philosophicos, Theologicos, &c. editos & edendos damnauerit, Edicto scilicet Hæresibus Iansenianis imbuto, vt noster Hyperaspistes Physico Ethicus *num.* 1139. *&* 1291. euidenter persuadet. In hoc inquam ille libello, sic inquit. *Neque desunt, qui Bullas Pontificias, etiam in materia fidei & doctrina, licitè suspendi posse existiment.* Sed quos citat? Dianam? Mascarenham? Caramuëlem? Non hos: quia his stantibus Iansenismus redire in Europam non potest. An Recentiores aliquos? minimè. Quos ergo? Ioannem Driedonem, Louaniensem quondam Doctorem *de libertate Christianâ lib.* 3. *cap.* 2. dicentem. *Etiam in his, quæ ad fidem spectant, vt omninò recta credenda sit Pontificia decisio, multa requiri: & hæc Pontificem omittere, & proprio sensui & propria prudentia inniti posse.* Et quis vnquam Iunior sic de Definitionibus Pontificiis loquutus est. Boonem, ais. Sed est Iansenista inquam ego.

Ecclesia [illegible]?

D. Iacobus Boonen omnes libros authoris condemnat. Et cur?

Eius error circa Definitiones rerum Fidei.

Nota illud quondam.

Stat igitur in materiâ Fidei & morum veteres sensisse laxissimè, & Iuniores per annos centum strinxisse conscientias; iuuandósque esse, ne vlteriùs stringere pergant, ne prudentiæ limites excessisse dicantur.

Hæc sunt PRINCEPS EMINENTISSIME, quæ impræsentiarum occurrunt iam iam in Cornelium, Iansenium, Iacobum Boonem aliósque nouæ hæreseos fautores librum euulgaturo, cuius editio tantisper hærere iubetur, vt etiam D. Fagnanus lineatim examinari possit; quia vt dixi, in illa Propositione. *Ad securitatem conscientiæ non sufficit opinio probabilis*, tota quanta est clauditur hæresis Ianseniana. Desiderarem, vt contra D. Fagnanum Iuniores in suâ strictâ doctrinâ permanere sinantur, ne fortè incautè ad antiquos repulsi, horum laxissimæ opiniones iterum reuocentur; Theologi enim piissimi & strictissimi, qui in libro impresso Romæ *Nouatores* 282


Authoris votum.

Authoris timor. (hæreticorum Lutheranorum Caluinistarum hodie notissimum Epithetum est) impunè vocari permittuntur, poterunt fortasse irritari, & irritati dicere. ***Si sic debet fieri, obediamus D. Fagnano, sentiamus, ergo cum antiquis vt à Nouatorum liberemur iniurioso vocabulo.*** Ergo vt huic maximo inconuenienti obuiam eatur, oportet errorem D. Fagnani ab Orbe literario proscribere. VALE:

Romæ. Calendis Decembr. M. DC. LXII.

Vestræ Eminentissimæ Celsitudinis.
Humill. in Christo seruus,
IOANNES CARAMVEL *Episc. Satrianens. & Campaniens.*

NOTA



NOTA.

DE PROBABILIORITATE.

An ex hypothesi, quod ad securitatem conscientiæ probabilis opinio sufficiat, nec certam amplecti teneamur; debeamus probabiliorem sequi, an minùs probabilem in praxi tenere possimus?



TAMETSI Iansenistæ, & D. Antonius Merenda, & D. Fagnanus cum ipsis, non sint probabilioritate contenti, sed doceant materialiter securam sententiam esse eligendam, etsi minùs probabilis sit: quia tamen fortè aliquis illos obtorquere volet, & de probabilioritate interpretari, has lineas adhuc scribere placuit. Attende. 283

An Opinio probabilior sit eligēda?

Debeo eligere probabiliorem.

Ergo possum eligere minùs probabilem.

Consequens contradicere antecedenti dicis tu: & tamen ego apodicticè & demonstratiuè ex illo inferri. Sic inquam.

Demonstratur ad securitatem cōsciētiæ sufficere opinionem minùs probabilem.

Quando sunt duæ opiniones, quarum altera est probabilior, & altera minùs probabilis, probabiliorem teneor sequi. Sic tu: quod ego non concedo, sed argumenti gratiâ transire iubeo: vel condono.

Considerent quæso hunc syllogismum Lectores: illi enim Viri doctissimi demonstrationum esse indicant.

At in quæstione, quæ interrogat, An debeam sequi probabiliorem, an verò sequi possim minùs probabilem, *duæ dantur opiniones, altera*, quæ mihi probabiliorem sequi iubet; *altera*, quæ, vt minùs probabilem sequar, *indulget.*

Ergo in hac ipsâ quæstione, ex his duabus opinionibus probabiliorem sequi debeo.

284 *Sed illa, quæ docet*, minùs probabilem sententiam ad conscientiæ securitatem sufficere, *est probabilior* : *opposita est minùs probabilis.*

Ergo sequi illam debeo, quæ docet, minùs probabilem opinionem sufficere, *& oppositam sequi non possum.*

Quotnam nostram opinionem defendant?

Consequentiæ legitimæ sunt, & vltima minor certissima: nam, si agamus de probabilitate extrinseca quæ à Theologorum sumitur authoritate: sunt milleni Theologi, qui illam minorem teneant, [non paucos Hyperaspistes noster Physico-Ethicus num. 1288. producit.] at, vt illos qui negant numeremus habemus digitos sufficientes in manibus. Illam enim negat (1) Paulus Comitolus, (2) Candidus Philotheus: sic enim dici voluit P. Andreas Blancus. S. I. (3) Philippus Faber Franciscanus, Lector Vniuersitatis Paduanæ (4) Thomas de Afflicto (5) Pater Iulius Mercorius Inquisitor Mantuæ, Ordinis S. Dominici. Non vidi alios. Iudicet igitur sincerus Lector, an quinque vel sex contra millenos opinionem probabiliorem possint facere. Dic igitur opinionem oppositam non solùm esse probabiliorem, sed videri certam & indubitatam moraliter.

Quotnam oppositam?

Quā certa sit nostra sententia?

285 Ratio id confirmat. Quia ideò non tenemur opiniones certas sequi, quia humanus intellectus sæpe cognoscere nequit certitudinem, & ideò debet esse contentus probabilitate. Sed difficiliùs probabilior à minùs probabili distinguitur, quàm certa à probabili. Ergo. Probatur minor: Primò, Authorum testimoniis, quæ Hyperaspistes *num.* 1208. exhibet: omnes enim affirmant fore intolerabilem, fere impossibilem, aut etiam absolutè impossibilem obedientiam, si Deus, vt probabiliora faceremus, præciperet. Ergo hæc doctrina æquè ac altera, vt Iansenismus reuocetur, protruditur. Secundò: esse enim impossibile semper probabiliores opiniones cognoscere, demonstrat ad oculum praxis; nam ipsimet, qui docent nos debere probabiliores opiniones defendere, sæpissimè eligunt minùs probabiles: vel qui dubitet legat aliquot folia in Comitolo, & hoc esse manifestum percipiet.

Quàm sit difficile cognoscere probabilioritatem! Vide Notas Epistolæ dedicatoriæ ad literā AA.


286 Prætereà. Probabilioritas non est prærogatiua absoluta propositionum, sed qualitas à fundamentis Philosophicis pendens

Vnde sumatur probabilioritas.


dens. Hæc vt plurimum, Thomistica & Scotistica sunt: & quis vnquam quæso demonstrabit, Vtra sint probabiliora? Stabit pro illis Dominicanus, Franciscanus pro istis: tenebitur præcepto, iuramento, & voto. Siue probabiliora iudicet siue non iudicet, in nullo enim Tribunali periurij excusaretur Lector Dominicanus, qui diceret. *Est verum: me defensurum S. Thomæ doctrinam iurasse, sed modò Scoti doctrinam censeo probabiliorem.* Nam posito voto, iuramento, aut præcepto, Lector Dominicanus tenebitur doctrinam Angelici Doctoris tueri, quousque vel Ecclesia oppositum definiat aut iubeat: aut tu produxeris aliquam demonstrationem.

Hæc breuiter adnotasse sufficiat, quæ in Hyperaspiste Physico-Ethico deducuntur vberiùs. Tu illum consule.






RESOLVTIO TERTIA POSTVLAT, vt Catenam ſubſequentem addamus.



CATENA



CATENA.

HÆRESEOS IANSENIANÆ.



ÆRESIS Ianſeniana, iterum iterumque ſuppreſſa, condemnata, proſcripta, mutatâ laruâ in Orbem literarium reuertitur, vt inſultu altero Romanam Eccleſiam expugnet. Heri illa Religionem mentita, omnes Doctores Orthodoxos eſſe Pelagianos aſſeruit:& Aſſertiones, quas Articulis Fidei accenſuerat Tridentinum Concilium, hæreſeos inſolenter damnauit. At hodie mentita Pietatem in male pexo Antonij Merendæ volumine, quod de Conſilio ſcribitur, doctrinæ laxæ & temerariæ Theologos vniuerſos accuſat. 287 *Ianſeniſtæ ſecundo inſultu Eccleſiam Romanam inuadunt, ſed clam, & ſub ſpecie pietatis.*

Et quid quæſo prætendunt Ianſeniani, cùm ſe morum relaxatorum reformatores ſimulant, cornuáque omnibus Viris doctis obuertunt? Obtinere, vt in Vulgi tribunali vltima illa annulletur ſententia, quam contra Ianſenij pernitioſa deliria in ſupremo Romanæ Eccleſiæ tribunali per Innocentium X. Spiritus ſanctus pronunciauit. Huc eorum technæ, & cauillationes conſpirant. Singuli in Argos verſi, cautè & accuratè circumſpiciunt, an pateat rima, quà ſe ingerere poſſint. Oportet igitur oculos aperire: & quando vigilant Aduerſarij, vt arietent Eccleſiam, debemus etiam inuigilare, ne opprimamur incauti: ſed potiùs rebellem heterodoxúmque retundamus inſultum. *Eorū vota & intentio.*

Profectò Ianſeniana Hæreſis; eſt quædam Catena continua: quæ multos adhuc vinctos detinet. Paucos illa habet annulos, ſed tam connexos, vt qui retineat vnum, debeat cæteros neceſſariò tenere. Debemus igitur vniuerſos confringere; ne, ſi vel vnum toleremus, omnes tolerare cogamur. Totam illam conſidera ad breuem ſynopſim reductam. 288 *An Ianſeniana hæreſis catena ſit?*

Primus Annulus.

Liberum hominis post naturæ lapsum Arbitrium, consistit in libertate à coactione non autem in libertate à necessitate.

Fuit olim Manichæorum, & postea Lutheri & Caluini, quorum discipuli hæreseos paulatim remisserunt rigorem, quousque Cornelius Iansenius languentem iam errorem ad pristinum rigorem reuocauit.

Hæc est omnium aliarum hæresum, quas Iansenianí sustinent fundamentum & basis: nam cætera omnes ex ista necessariò inferuntur.

Secundus Annulus.

Ergò peccat homo in eo, quod necessariò facit; & etiam in eo, quod necessariò omittit, Ergo eodem modo de merito, ac de demerito est philosophandum.

Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Oritur necessariò ex præmissâ,

Et me iudice mirum omninò est homines rationales in hanc materiam deuenisse: si enim ad cœlum aut infernum nos deducit necessitas, cessant virtutes vitiaque: & æterna felicitas aut infelicitas, non à merito aut culpâ, sed à fortuna sola pendet.

Tertius Annulus.

Ergo necessaria Deus interdum inhibet: & impossibilia interdum præcipit.

Ergo aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Sicut deficiente gratia est impossibile interdum adimplere præcepta; etiam præsente gratiâ est impossibile præcepta Diuina violare: homo enim nunquam gratiæ resistit: non enim est talis gratia vt ei voluntas possit resistere vel obtemperare: cum voluntate enim necessariò ad actionem concurrit.

Ergo auxilia sufficientia non dantur.

Ex præcedẽtibus hæc omnia necessariò nascuntur, nec propugnari ab illo poterunt, qui velit præcedentia negare.

Quartus Annulus.

Ergo præcepta impossibilia obligant hominem, si impossibilitas se tenet ex parte intellectus.

Ergo ignorantia inuincibilis non excusat.

Ex præcedentibus necessariò deducitur.

Quintus Annulus.

Ergo Via, quæ ducit ad vitam tam est arcta, vt nullas probabiles opiniones admittat.

Ergo non excusatur apud Deum, qui in praxi iuxta sententiarum probabilium benignitatem operatur.

In hanc tota exonerat hæresis Iansenìana: & ex hac iterum renasci potest.

Sextus Annulus.

Ergo præcepta impossibilia etiam obligant hominem, si impossibilitas se tenet ex parte voluntatis.

Ergo etiam, si se tenet ex parte alicuius sensus aut potentiæ extrinsecæ.

Sequitur necessariò ex præmissis.

Septimus Annulus.

Christus igitur non est mortuus pro omnibus: neque pro omnibus fudit suum sanctissimum sanguinem.

Patet: quia, si gratiæ sufficientes non dantur, illis qui efficaces non habent, nihil omninò fuit Iesus-Christus promeritus.

In hanc etiam ex alio latere Propositionem tota exonerat hæresis Iansenìana: qui enim admittat hanc, non poterit alias negare.

HÆc est totius hæreseos Iansenianæ idea ; quam ideò expressi, vt vno intuitu videre possis, quam sint concatenata huius nouæ Religionis deliria, & quàm irreligiosa dogmata, quæ in animos incautos obtrudunt. Tacent hodie: & de quinque illis Propositionibus, quas condemnauit Apostolica Sedes, nihil publicè obganiunt: sed mutatâ dialecto easdem omnes aliis verbis reponunt, dicuntque, *Peccant, qui in materiâ conscientiæ sequuntur opiniones probabiles.* Imò vlteriùs progressi, sententiam oppositam, quæ omnium est, temerariam & euidenter falsam, & dignam censurâ succlamant. Profectò, non omnes Viri docti dialectum istam capiunt; nec omnes, quid Ianseniani dicant, & quò tendant intelligunt; & hanc ob rem oportet verba hæc ex Ianseniano Idiomate in linguam communem transferre. Ego igitur, qui à multis iam annis cum Iansenianis disputo, & eorumdem exactè circumloquia cognosco, assumam Translatoris officium & hanc mysticam lineam in linguam communem conuertam: & sic inquam. Hæc verba, *Peccant omnes, qui in materiâ conscientiæ sequuntur opinionem probabilem*, dialecti Iansenianæ sunt, & complectuntur omnes hæreses, quas anno 1653. pridie Calendas Iunias Apostolica Sedes vltimâ sententiâ condemnauit. Qui enim hanc Propositionem reijcit, totam hæresim Iansenianam condemnat: &, qui Iansenianus est, hanc ipsam negare non potest. Hunc discursum analyticum seu resolutorium considera. 289

Multum dicunt contra Ecclesiam Iansenistæ cùm maximè tacere videntur.

Loquuntur alio idiomate; sed easdem hæreses.

Vna linea omnes hæreses priores claudunt.

Sic inquam. *Probabilitas à peccato excusat. Et cur? Quia, si illa non excusaret nec excusaret à peccato ignorantia inuincibilis, quæ in omni probabili opinione inuenitur; & est formalis ratio, ob quam opinio probabilis excusare dicatur. Huc enim Theologi vniuersi recurrunt, vt laudabilem opinionum probabilium vsum, contra nostri æui Nouatores defendant: qui enim aut veritatem certò sciret, aut illam vincibiliter ignoraret, vti benignitate probabilium sententiarum non posset. Et cur ignorantia inuincibilis excusat? Quia, si non excusaret, homini Deus præciperet impossibilia: nam præciperet, vt sciat, quæ scire non potest. Et cur, quæso, non concedimus posse & solere Deum præcipere hominibus impossibilia? Quia, si illa iuberet,* 290

Posita doctrina de probabilitate, tota hæresis Ianseniana prosternitur.

homines necessariò peccarent. Et cur tandem dici non possunt homines necessariò peccare? Quia, peccarent in eo quod necessariò facerent; mererentur in eo quod necessariò omitterent: & contrà: adeóque interiori gratiæ nunquam resisterent; imò nec resistere possent: & absente gratiâ efficaci non haberent auxilia sufficientia, vt concupiscentiæ insidias noscerent, & insultus retunderent: & hanc ob rem tota humana libertas, quæ ad merendum & demerendum est, soli opponeretur coactioni, & non excluderet necessitatem.


291 *Reiecta doctrina de probabilitate tota Ianseniana hæresis restituitur.* Sicut ingenium manuduxit Analysis: Syntaxis poterit: Ergo modo compositorio inuerso ordine à primo hæreseos Iansenianæ fundamento incipiamus.

Fundamentũ Iansenij. Sic Iansenius discurrit. *Liberum hominis post naturæ lapsum arbitrium in libertate à coactione consistit; non autem in libertate à necessitate.* Si hoc semel concedatur, de cæteris non est sollicitus, quia debent necessariò concedi. *Si enim homo operatur liberè in his, quæ necessariò facit: etiam peccare & mereri homo poterit in his, quæ necessariò facit. Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ libertas à coactione sufficiet, & non requiretur libertas à necessitate. Si peccat homo in his, quæ necessariò facit; peccabit in operatione, quam non potest omittere: &, quia peccare est violare præceptum præcepto proculdubio obstringetur ad omittendum, quæ non potest omittere, aut ad faciendum quæ non potest facere. Ergo aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. Ergo potest & solet Deus iubere homini, vt supra vires mentis intelligat, supra vires voluntatis amet, & supra vires sensuum & potentiarum operetur. Ergo apud Deum non excusat ignorantia inuincibilis, quia tenetur homo scire quæ scire non potest. Ergo nec excusare poterit Probabilitas, quia tenetur homo facere quod est certò bonum, etsi illud insuperabiliter nesciat.* Ergo idem est, accusare eos qui ad sententias probabiles proprias opiniones conformãt, quàm Iansenij errores reuocare, excusare Lutherum & Caluinum: & reum agere Spiritum sanctum, qui eorumdem execranda deliria per Concilij Tridentini Patres, necnon per Pium I V.

Errores Iansenij saepe fuerunt ab Ecclesia damnati.

Pium IV. Pium V. Gregorium XIII. Vrbanum VIII. & tandem per Innocentium X. & iam iterum per Alexandrum VII. vltimâ sententiâ condemnauit.

Sed hæc omnia vberiùs in Hyperaspiste Phisico-Ethico, quem legere potes, pertracto.



NOTA.

DE IANSENISTIS.

An in illorum ore hæc Propositio, Ad securitatem conscientiæ non sufficit Opinio probabilis, *sit non solùm erronea, sed hæretica formaliter? Examinat, quomodo Conclusio Theologica ab Assertione Fidei: quomodo error in Fide ab Hæresi formali distinguatur?*



ERSPICACIA indiget, qui Conclusiones Theologicas à Propositionibus Fidei velit distinguere: licèt enim communiter dicamus Theologi, Assertionem Conclusioni Fidei contradicentem non esse hæreticam; non ideo dicimus hominem hanc Assertionem pronuntiantem non esse hæreticum. Considera syllogismum sequentem. 202 *De Conclusione Theologica & eius à Propositionibus Fidei distinctione.*

Omnis homo est risibilis. *An Christus risibilis sit?*
Christus est homo.
Ergo Christus est risibilis.

Ex his tribus Propositionibus, prima est per se nota: secunda est Articulus Fidei: tertia est Conclusio Theologica. Siquis neget hanc tertiam præscindendo à præmissis, non erit Hæreticus: non enim in sacrâ Scripturâ, aut in aliquo Concilio Ge- *An pars affirmatiua sit de fide?*

 nerali

nerali Christum risibilem esse vel fuisse definitur. Siquis neget, hanc tertiam ex duabus illis præmissis deduci, non erit formaliter Hæreticus; non enim in sacrâ Scripturâ, aut in aliquo Concilio Generali definitur syllogismum in *Darij*, esse legitimum & demonstratiuum: erit Adialecticus, impossibile est enim, vt Dialecticam sciat, & vires demonstrationum, quibus syllogismorum efficacia monstratur, non sentiscat. Cæterùm, si quis consequentiam esse bonam concedat, & esse veram neget, & nihilominùs maiorem admittat, cùm Christus non est risibilis, pronunciat, non dicet Hæresim, & tamen hanc ipsam propositionem non pronunciabit sine hæresi, ideò enim negabit tertiam propositionem, quia negat secundam, quæ est Articulus fidei: nam in formâ legitimâ non potest vtraque concedi præmissa, & tamen consequentia negari.

Quàm certum sit, formā in Darij bonam esse

Consequētia negatur, cū ab aliqua Præmissa dissentimus.

293 *An Propositio ex qua hæresis infertur, sit hæretica?*

Hæc omnia dilucidat Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 32. *art.* 4. de Notionibus Diuinis disputans: consideretur hæc periodus. *Circa huiusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis potest falsum opinari, antequam consideretur vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, & maximè, si non pertinaciter adhæreat. Sed postquam manifestum est; & præcipuè si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare, non esset absque hæresi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ priùs non reputabantur, propter hoc quod nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur.*

294 *Duplex Quæstio proponitur.*

Hac doctrinâ præmissâ conuerto ad Iansenianos oculos & acturus de probabilitate, duas Quæstiones, quæ non debent inter se irretiri, aut confundi, propono. Inquiro enim PRIMÒ. *An homo in conscientiæ regimine teneatur sequi sententiam certam, peccaturus aliàs, etsi sequatur probabiliorem?* SECVNDÒ. *An ex suppositione quod non teneatur sequi certam, sed satisfaciat sequendo incertam, teneatur probabiliorem sequi, peccaturus, si sequatur minùs probabilem?*

295 Ad primam Quæstionem negatiuè respondeo: & vt Resolutionem meam persuadeam, duplex Enthymema propono, alterum, in quo præmittatur Hæresis; alterum, in quo assumatur

tur

tur & præmittatur. Examinemus primum. & posteà alterum considerabimus. Primus igitur sit.

Deus præcipit, vt in conscientiæ regimine sequaris semper sententias certas, nec est contentus, si sequaris probabiles. *Quid dicendum de propositione, quæ infert hæresim?*

Ergo tibi Deus præcipit impossibilia.

Patet consequentia. Quia raræ sunt in Moralibus sententiæ certæ; & frequentissimè omnia sunt probabilia, quæ vel asseruntur, vel negantur.

Præmissa separata & præcisa à sequelâ, quam infert, non est hæretica: in nullo enim aut Generalis Concilij aut sacræ Paginæ textu condemnatur. At verò connexa cum sequelâ non poterit asseri sine hæresi, quia non poterit asseri sine sequelâ, quæ est hæretica: nam licèt non sit definitum ab Ecclesiâ secundam inferri ex primâ; nihilominùs secundam inferri ex primâ ita certum & manifestum est, vt plerique omnes Theologi ex eo probent opinionem probabilem ad regimen Conscientiæ sufficere, quia aliàs impossibilia hominibus iuberet Deus. 196

Ergo (repono verba D. Thomæ) absque periculo hæresis potest aliquis falsum opinari (asserendo videlicet, ad securitatem conscientiæ non sufficere probabilitatem) antequam consideretur, vel definitum sit, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium Fidei) quale est, *Deus præcipit impossibilia*) & maximè, si non pertinaciter adhæreat. Sed postquam manifestum est, quod ex illo antecedenti, *Deus præcipit*, &c. sequitur illud, *Ergo tibi*, &c quod est contrarium Fidei, in hoc errare non est absque hæresi (saltem concomitante.) Et quidem hoc æuo ex illo antecedente hoc sequi consequens tam est certum & à tam multis inculcatum Theologis, vt sine pertinaciâ ab aliquo negari non possit. 927 *An Deus impossibilia præcipiat?*

Ponamus secundum Enthymema, quod Iansenistas premit, & huc specialiter pertinet. 298

Deus impossibilia hominibus potest & solet præcipere. *Quid dicendū de Propositione, quæ infertur ab hæresi?*

Ergo præcipit vt sententiam certam sequantur, nec contentus est, si probabili vtantur in conscientiæ regimine.

Patet consequentia Quia omnes, qui ad conscientiæ securitatem sufficere Probabilitatem affirmant, ideò hanc senten-

tiam

Cur Ianseniſtæ conſcientiæ ſecuritatem à Probabilitate prouenientē reyciant?

tiam tenent, quia aliàs ſequeretur Deum impoſſibilia iubere, & Deum non poſſe iubere impoſſibilia exiſtimant.

Conſequentiam propugnant Ianſeniſtæ, quia propugnant antecedens. Ergo, vt ſciamus qualis illa ſit in Ianſeniſtarum ore, quomodo antecedens in conſequens influat ediſſeramus.

An Premiſſa ſint Concluſionis cauſa? An efficiēs? An neceſſitans?

299 Ariſtoteles libr. de poſteriori analyſi aſſerit, omnem cognitionem diſcurſiuam fieri ex præexiſtente cognitione præmiſſarum: vbi noſter Corduuenſis Auerroës, quem *Commentatorem* appellant, aſſerit, particulam illam *ex* denotare cauſalitatem, quam efficientem eſſe aſſerit D. Thomas *in lib. Poſterior. lect.* 3. & *libr.* 2. *Phyſic.* & ſibi conſonat, 1. *contra gent. cap* 55. *ration.* 4. & 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 7. Vide P. Philippum de ſanctiſſima Trinitate Thomiſtam ſeueriſſimum, qui *in ſummâ Philoſophiæ part.* 1. *quæſt.* 21. *art.* 4. ex Ariſtotele & D Thomâ probat per aſſenſum præmiſſarum neceſſitari intellectum ad aſſenſum concluſionis. Thomiſtas ſequuntur Scotiſtæ, inter quos celeber eſt P. Ioannes Poncius, & *in Logicâ diſput.* 20. *quæſt.* 3. *num.* 37. hanc doctrinam tuetur. citatque Scotum *in* 1 *diſt.* 1. *quæſt.* 4. §. *Ad argumentum.* S. Thomam 1 *part quæſt.* 82. *art* 2. & 1. 2. *quæſt.* 17. *artic.* 6. Durandum *in* 2. *diſt.* 25. *quæſt.* 4. *n.* 7. necnon Fonſecam 6. *Metaph. cap.* 1 *quæſt.* 4. *ſect* 4 Conimbricenſes 1. *Poſter. quæſt.* 4. *art.* 4. Arriagam *diſp.* 15. *ſect* 6. Complutenſes *diſp.* 17 *quæſt.* 4. &c. His poſitis diſcurro ſic.

An Cōclu ſio libertate Premiſſarū ſit libera?

300 Conſequentia illa eſt neceſſaria in ſe, & libera libertate antecedentis: ergo præter moralitatem, quam dicit ſecundum ſe, eſt moralis moralitate antecedentis: at antecedens eſt hæreticum (hæc eſt quæ reperitur in antecedente moralitas) ergo conſequens eſt hæreticum; nam ſicut eſt liberum in cauſâ, ſic etiam eſt hæreticum in cauſâ. Ergo conſequens non admittitur ſine formali & intrinſecâ hæreſi: nam admittitur, quia concomitanter admittitur antecedens; quod eſt formaliter & intrinſecè hæreticum: hæc enim poſitio, *Deus impoſſibilia iubet*, ſecundum terminos intrinſecos, quos dicit præſcindendo à quocumque extrinſeco, eſt hæreſeos ab Eccleſiâ damnata.

Prætereà

Præterea agendo de vtroque syllogismo quæram, *An eodem actu, quo intellectus assentitur conclusioni, assentiatur etiam præmissis?* Hanc controuersiam mouet Poncius *in Logica disput* 20. *quæst*.1. & pro asserente sententiâ citat Ochamum *quæst*.3.*Prologi*. Gabrielem *quæst*.8. & Durandum *in* 2.*dist*.38. *quæst*. 13. asserentes vnum & eumdem actum eodem modo (nempe, *vt quod*) ad præmissas & conclusionem terminari. Citat etiam D.Thomam 1.2. *quæst*. 8. *art*. 3. Vallium *in libr. Post.disput*.2.*quæst*.5. Amicum *ibid. disp*.2.*quæst*.5. Fonsecam 5.*Metaph*.1.*q*. 4 & notat ab his citari multos alios, qui omnes tametsi eodem actu asserant præmissas & conclusionem ab intellectu attingi; putant hanc attingi *vt quod*, illas *vt quo*, quæ differentia non est à nobis hîc specialiter consideranda; sufficit enim scire præmissas conclusionémque esse vnum & eumdem actum realiter. 301

An præmissæ & Conclusio sint in intellectu vnus actus?

An Cōclusio attingatur vt quod, *an* vt quo.

Hac doctrinâ præmissâ manifestum est hanc Propositionem. 302


A. *Probabilitas non sufficit ad securitatem conscientiæ.*

quæ est connexa cum hac

Resolutio.

B. *Deus impossibilia præcipit.*

seu inferat hanc seu ab ista inferatur, esse realiter loquendo hæreticam: nam, vt diximus, hæ duæ Propositiones A. & B. quarum altera (nempe, B) est certissimè hæretica (seu A. sit antecedens, & B. consequens: seu B. sit antecedens & A. consequens) vno & eodem actu reali attinguntur: qui quà tangit B, est realiter loquendo hæreticus.



MONITVM DIALECTICVM.

AD ANTAGONISTAS.

De Logicæ Moralis legibus, quas obseruare debeant, si huic fortè syntagmati respondere præsumant.

303 *Cum Adialecticis non est disputandum.*

ISER sum, si Logicam Aduersarios meos docere debeam. Suppono illam vos scire, & nec maculaturos esse chartam næniis, nec nos fatigaturos inutilibus argumentis. Si rhetoricari placeat, vos non lego. Sum nimis occupatus, & tempus his nugis non tero. Si dialecticari velitis, ad arenam descendo. Interim vt sciatis, qualiter disputare debeatis, vt has legatis, & obseruetis Leges, Dialectica Moralis præcipit.

Leges Dialectica.

I. *Rationibus agunto.*

II. *Ab iniuriis, dicteriis, & scommatibus abstinento.*

III. *Nullam merè probabilem in Responsione Assertionem ponunto.*

IV. *Præscriptas & demonstratas syllogismorum formas religiosè obseruanto.*

D. Fagnan. in pios, doctos, & illustres homines contumeliosus.

Viros sanè doctissimos, pientissimósque, de Ecclesiâ Romana optimè meritos, quia veritatem docent, D. Fagnanus, qui à falsitate stat, Epithetis, quibus inurere solemus Hæreticos, iniuriosè proscindit. At illi Plautus, *Qui quod volt dicit, quod non volt audit.* Erit igitur aliquis, qui eodem ipsi obloquatur idiomate. Id autem, à nobis non timeat, nulla enim tam atrox esse potest iniuria, quæ perturbare animum possit quem vel deuotio ad patientiam, vel generositas ad despectum elimat At vbi syllogismi sunt? In Aristotele: non autem in D. Fagnani libro.

Si argumentari placeat, abstinete à rationibus Topicis, nam illæ prodesse iis non poterunt, qui Probabilitatem impugnant. Sanè securitatem conscientiæ non in via Regia, sed *extra anni solisque vias*, in certa tantùm & indubitata sententia D. Fagnanus constituit. Damnat hanc omnium Theologorum fundamentalem suppositionem, *In materiá Fidei & morum ad securitatem conscientiæ sufficit opinio probabilis.* Ergo substituit hanc *non sufficit.* At quæstio, quæ inquirit, Vtrùm D. Fagnanus dicat bene? vtrùm hallucinetur? vtrùm Iansenismum, iam proscriptum (nesciens, quid faciat; quid inde resultaret, non præuidens) reuocet? vtrùm quinque ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatos errores propugnet? est in materia Fidei & morum. Ergo, vt illam contra laudabilem probabilitatum vsum decidat; vt suam partem propugnet; rationibus probabilibus vti non potest: nam statim hæc Demonstratio in arenam descendit. 304 *An D. Fagnan. rationibus probabilibus vti possit?*

In materiá Fidei & morum ad conscientiæ securitatem probabilis sententia non sufficit. Est fundamentalis illa Maxima, quam D. Fagnanus assumit. 305 *Demonstratio contra D. Fagnan. militans.*

Sed hæc D. Fagnani Propositio, In materia Fidei & morum ad conscientiæ securitatem probabilis sententia non sufficit, *est tantùm probabilis.* Hanc non concedo, sed condono: certus sum enim illam ab eo, imò nec ab vllo mortali probabiliter suaderi posse.

Ergo hæc hæc D. Fagnani sententia, In materia Fidei & morum ad conscientiæ securitatem probabilis sententia non sufficit, *ad conscientiæ securitatem non sufficit.* Consequentia est legitima: & consequens, vt *num. 9. & 92.* ostendimus, vniuersaliter sumptum; ita, vt non contrahatur & limitetur, est hæreticum. Si contrahatur, debebit ad limam Theologicam contrahi: Ergo ad nostram: hoc est, communem, & omni æuo notatam Theologorum Decisionem reduci. *De consequentia.* *De consequenti.*

Licèt strictiùs Dom. Fagnanum tertia lex, quàm D. Borgiam, & alios Aduersarios Caramuëlis obstringat: interim & hos etiam omninò obstringit. Dicit Caramuël, *Probabile est summum Pontificem posse in voto solemni dispensare.* Huic Modali non opponitur simplex hæc, *Pontifex non potest dispen-* 306 *De oppositione Probabilium.*

sare. [Et ratio est; quia quæ probabiliter mente asseruntur, absolutè solent & possunt linguâ proferri, stylo scribi: vt patet in Marianæ conceptionis materiâ: nam piæ Scotistarum opinioni probabilibus rationibus ductus assentior, & tamẽ absolutè dico, *Deipara sine maculâ concepta fuit*: nam hæc propositio absoluta (simplex, de inesse) non negat Probabilitatis modum, sed ab illo præscinditur, & ideò illi Modali non opponitur, *Probabile est, Deiparam sine maculâ conceptam fuisse.*] Sed neque opponitur Modalis hæc, *Probabilius est Pontificem non posse dispensare*, assertio enim, seu minùs, seu æquè, seu magis probabilis sit, est probabilis: at primæ illi Propositioni, *Probabile est summum Pontif posse dispensare* opponitur Modalis hæc, *Improbabile est Pontificem posse dispensare.* Et hanc aio rationibus probabilibus persuaderi non posse. Vel, vt te clarissimus Dialecticæ radius illuminet, te illam intulisse ex antecedenti probabili, condonemus; aut etiam, si velis supponamus. Quid habebis? Hanc demonstrationem, cui nunquam satisfacere valeas.

De Probabilioris oppositione.

Illa sententia est probabilis, pro quâ militant rationes fortes, contra quam nulla prodit in campum demonstratio. Patet ex Probabilitatis conceptu.

Altera indissolubilis contra D. Fagnanum Demonstratio.

Sed pro hac, Pontifex potest in voto solemni dispensare, *militant rationes fortes*, [imò tam fortes, vt plurimos Viros doctos conuincant: hæc enim extra Angelici Doctoris Scholam apud Theologos communis est.] *Contra hanc nulla adhuc prodiit in campum demonstratio.* [Patet: quia te pro contraria non aliqua demonstratione, sed merè probabili ratiocinio muniri, vt patet ex dictis, supponimus]

307 *Ergo hæc*, Pontifex potest in voto solemni dispensare, *est probabilis.*

Ergo falsum est dicere, quod sit improbabilis.

Consequentiæ bene considerentur.

Ergo [& hoc attentè legi & perpendi volo] *tibi huius Propositionis improbabilitatem persuasuro, nullo modo prodesse potuit ratiocinium probabile.* Eruditionis gratiâ illud esse probabile supposui, vt argumentum flueret; at, si Dialecticam veritatem scire vis, contra Propositionem simplicem hanc, *Pontifex potest in voto solemni dispensare*, multas rationes probabiles

probabiles afferre poteris: verum enim verò contra Modalem hanc, *Probabile est posse Pontificem in voto solemni dispensare*, probabilem rationem non inuenies. [N. B. rationem dico, non verò authoritatem: nam si esset aliqua opinio, quam multi doctores dicerent probabilem, multi improbabilem, hæc esset probabiliter probabilis, adeóq; vocari posset absolutè *probabilis*.] Et sic de omnibus sententiis probabilib. philosophator.

An dari possit Propositio, quæ probabiliter probabilis sit

308 Dices; me in Scholastico oceano nauigare, nec te velle admittere in meum phaselum: quæ enim mihi arrogo, tibi rotundè nego: & probas, quia ego volo vtendi probabilibus argumentis priuilegio fruisci; & te eodem vti non patior, ac si Dialectica Numina mihi essent secunda & propitia, tibi infensa & irata.

An argumentandi modo, quo nos vtimur, vti etiam possit D. Fagnanus?

309 Respondeo, pleraque omnia negando. Nego primo nos duos posse in eodem phaselo nauigare: nego te posse in alio: nam, qui Veritati claræ & manifestæ contradicunt, natant, non nauigant; brachiorum remigio vndas findunt; fatigant, fatigantúrque; & tandem vel tardiùs vel citiùs submerguntur.

In Scholâ ego Iure vtor, priuilegio non fruor. Diuersi moliminis est demonstrare Assertionem aliquam esse probabilem: & demonstrare esse improbabilem. Vbi probabiliter suadetur hæc simplex, B. *Isidorus est reus*; demonstratiuè ostenditur Modalis hæc, A. *Reum esse Isidorum est probabile*, hic enim syllogismus inuincibilis est.

Aliter probabilitas & aliter improbabilitas demonstratur.

Quomodo Probabilitas demonstrari possit

Conclusio, quæ est probabilibus infertur, est probabilis. Sic omnes.

Conclusio A. *ex probabilibus infertur.* Sic supponitur.

Ergo Conclusio A. *est probabilis.* Est indubitata consequentia. Hoc vti non possunt Aduersarij: debent hoc.

Conclusio, quæ opponitur contradictoriè Propositioni certæ, indubitatæ, aut demonstratæ est improbabilis.

Quomodo Improbabilitas demonstrari debeat.

Sed Conclusio B. *contradictoriè opponitur Propositioni* C. Sic supponamus.

Propositio C. *est certa & indubitata; quia aut est ab Ecclesiâ definita, aut naturali ratione demonstratur.* Supponamus hoc etiam.

Ergo Conclusio B. *est improbabilis.*

Primâ Minori euidenter ostensâ, secundam debent apodicticè suadere sic.

Quid Propositionis certæ & indubitatæ nomine intelligamus. *Propositio certa & indubitata illa dicitur, quæ vel definita ab Ecclesiâ, vel est Conclusio syllogismi legitimi, cuius vtraque Præmissa ita est certa, vt neutra in dubium aut quæstionem probabilem vocari possit.*

At hic syllogismus est legitimus. Vtraque Præmissa in illo est certa, &c. Propositio C. est in eodem Conclusio. Sic suppono.

Ergo Propositio C. demonstratur.

310 *Adialecticos, nec legere, nec audire volumus.* Hæc est vera Dialectica. Sicut vti illa placeat, promerebitur laudem, libenterque ab Orbe literario legetur. Cæterùm, cui vociferari, obloqui, displodere iniurias libeat, & formam Logicam obseruare non placeat, cantet sibi & alogicis Musis, aut etiam si voluerit, alogis: nos enim nec Auditores ille, nec Lectores habebit.

311 *Quid Demonstra.* Interim, quia Demonstrationis meminimus, vt sciat Argumentator, quam ego illum benignè ad Demonstrationes conformandas condemno, quæ ex vltimi syllogismi Maiori potuit addiscere, vt meliùs sciat, his paucis dilucido Assertis.

An Demonstratio Aristotelica possibilis sit? Primum. *Demonstratio Peripatetica est impossibilis*: tam multa enim, & tam ab vsu Scholæ aliena postulat Aristoteles, vt hucusque nullam vsque Peripateticam in libris legerim.

Secundum. *Demonstratio, quæ hodie in mundo formatur, illa est, quæ in legitimâ formâ construitur, habétque certas & indubitatas Præmissas.*

Tertium. *Certæ & indubitatæ sunt, de quibus nullus prudenter dubitat; nullus iudicat esse probabiles.* Huc pertinent per se nota Principia: huc Articuli Fidei: huc Veritates determinatæ ab Ecclesiâ, &c.

An, & quomodo demonstrantur res Fidei? Quartum. *Propositiones Fidei quà tales ratione demonstrari non possunt: at Testimoniis Fide tenendis, etiam quà tales possunt.*

De Demonstratione ad hominem. Quintum. *Dantur etiam Demonstrationes ad hominem.* In his non requiritur formam esse legitimam, sed sufficit à Respondente illam admitti. In eisdem non requiritur esse veras Præmissas, sed sufficit à Respondente illas concedi.

Hæc

Hæc, Lector mi, vt scias quam inire viam debeas, si contradicere velis, sufficiant: ex quibus colliges, hæc pauca folia non posse vllo modo legitimam Responsionem habere. Interim, aut adquiescere placeat, aut respondere libeat, vale, & dum Te Ego, tametsi indeuotus & negligens, Tu Me etiam Infinitæ & æternæ veritati commenda.




NOTA.

DOCVIMVS *Antagonistas Logicam, quam ipsi & nesciunt, & addiscere nolunt; qua vti noluit Illustrissimus D. Fagnanus; nam multa congerit, & quia Dialecticum rigorem non curat, nil concludit. Imitari videtur Illustrissimum D. Borgiam, qui in libro contra Caramuëlem edito se Logicam scire dissimulat. Obseruauit & carpsit hoc Clarissimus D. Franciscus Verde in libro contra Borgiam edito: quid præstare debuerat Borgias (adeóque quicumque Anti-Caramuël) & quid præstiterit, Eximij & Reuerendissimi DD. Chrysostomus de Acunciis, & Dominicus Platus solidè dilucidéque edisseruerunt, in Iudiciis, quæ libro Domini Verde præfixa; quæ, quia Monitum præcedens dilucidant, & paucis lineis maiorem complectuntur doctrinam, quàm libri integri, illas huc debere adiungi iudicaui.* 312

De Doctor. Borgia & Fagnani Logica.

IVDI



IVDICIVM PRIMVM.

DE PROBABILITATE.

Quomodò impugnari illa debeat? quomodo confirmari illa soleat ab his, qui illam impugnare se existimant. An Illustrissimus D. Borgias à Caramuële sit, cùm maximè illi aduersari conatur? An ingressus vel in vnicam difficultatem fuerit? & an vel vnam Caramuëlis lineam, aliter quàm corroborando, tetigerit?

315 *De Borgiæ Logica. An doctrinam Caramuëlis impugnet?*



VÆSTIONES selectæ ab Illustrissimo DD. Ludouico Crespino Borgiâ Episcopo Placentino, in Illustrissimum DD. Ioannem Caramuëlem Episcopum Satrianensem & Campaniensem editæ: si Dialectica ab Scholâ non exsit, videntur nihil contra doctrinam Caramuëlis habere, sed verius illam affirmare. Hoc ipsum Eximij & Clarissimi Francisci Verde Selectæ Positiones ostendunt, in quibus idem Doctor Clarissimus ad indubitatæ Logicæ Regulas, *Quid debuerit facere Illustrissimus Anti-Caramuël?* & *Quid fecerit?* ob oculos Lectorum ponit, demonstrátque mirâ Illustrissimum Anti-Caramuëlem inaduertentiâ omnium Assertionum, quarum probabilitatem impugnandam susceperat, Probabilitatem affirmare. Non solùm in doctrinâ, sed etiam in stylo voluit Clarissimus Dominus viam aduersam tenere; nam dum Illustrissimus D. Borgias rhetoricatur, & eadem verbis diuersis

Verde & Borgias ingenio & stylo dissentiũt.

diuersis eloquenter reponit, & in singulis quæstionibus multa folia prodigit, è Contra Clarissimus Dominus Laconicè dialecticatur, & vno folio multas Quæstiones curiosas & necessarias excitat, & fidissimo consequentiæ filo, ex vno eodémque fundamento, tribus (non enim plures exigit syllogismus) lineis expedit. Hanc ob causam eius ipsamet manuscripta, quæ magno discipulorum bono in Parthenopææ Vniuersitatis Gymnasio maiori dictauit, à Viris etiam magnis quæruntur, & à breuitate, & Logico rigore laudantur; quæ duæ styli nobilissimæ prærogatiuæ maximæ in hoc libro relucent: valde vtili, vt opinor, Dialecticis, vt discant, quid possint, debeántve oppugnandum suscipere, & quo illud modo possint oppugnare & diruere: Philosophis, Physicis & Ethicis, vt naturæ & morum considerantes connexionem, ex his ad illam, & ex illa ad hos Meditationes suas promoueant: Theologis, vt de Deo generosè discurrant: Iuris vtriusque Doctoribus & Professoribus, vt legum qualitates & characteres discant, ex quibus multa Corollaria scitu digna educuntur: & tandem omnibus Viris doctis, vt sciant mentem subrigere, & supra vulgi cothurnum meditari & argumentari. Et ne Orbis Literarius tam vtili doctrinâ careat, Liber hic in lucem publicam prodire poterit, & licentia, vt typis mandetur, concedi. Sic sentio. Datum Salerni, die 20. Maij 1661.

Quanti fiat Clarissimi Verde dictata?

Eius libri quibus prodesse solent?

D. CHRYSOSTOMVS DE ACCVNTIIS,
Iuris vtriusque Doctor.



IVDICIVM SECVNDVM.
DE EODEM ARGVMENTO.

Tradit breuissimum Moralis Theologiæ compendium. De Probabilium Propositionum Oppositione, Æquipollentiâ, & Impugnatione, &c. Solidè & ingeniosè discurrit.

Tradit etiam primum Theologiæ Moralis Fundamentum, videlicet, *Omnia, quæ intrinsecè mala dicuntur esse mala, quia prohibita; & non prohibita, quia mala. An Decalogus sit lex libera? examinat: vt vt necessariò fuerit lata, an liberè intimetur hominibus?*

143 *De Oppositione & Æquipollentia Probabiliũ.*



QVI putat has duas Propositiones, *Probabile est rem esse*, & *Probabile est rem non esse*, esse contradictorias, nimis est adhuc rudis in Logicâ. Non coincidunt, sed sunt æquiualentes. Hinc hodie subtiliores Theologi hanc docent esse consequentiam legitimam. *Hæc sententia est probabilior, Ergo opposita est probabilis*, & hanc etiam. *Hæc sententia est probabilis, Ergo & opposita est etiam probabilis*, Ergo illi, *Probabile est rem esse*, quæ contradicit? hæc, *Non est probabile rem esse.* Et hæc vltima quomodò debebit probari? Ostendendo hanc Assertionem simplicem, *Res est*, carere vtrâque (intrinsecâ & extrinsecâ) probabilitate: hoc est non habere Authores sufficientes, vt extrinsecùs probabilis esse dicatur, & non habere rationem quæ per demonstrationem euidentem & claram non diruatur: nam Probabilitatem rationibus probabilibus, aut dubium dubiis impugnare illam & hoc firmare est. Dicit Petrus, *Dubium est, an Turca sedeat.* Hoc Paulus impugnandum assumit & ait, esse falsum omninò, quia *dubium est an Turca non sedeat.* Et tunc Paulum non contradicere Petro inquam ego; sed idem omninò

Quo debeat modo persuaderi Propositionem aliquã esse improbabilẽ?

De Oppositione & Æquipollentia Dubiorum.

omninò dicere licèt defectu Logicæ existimet se defendere oppositum, nam *dubitare, an Turca sedeat*, & *dubitare an Turca non sedeat*, idem est, vt enim contradiceret, deberet dicere, *Indubium (certum) est Turcam sedere*, aut fortè, *Indubium (certum) est Turcam non sedere.* Hinc ad Probabilitatem. Hæc Assertio, *Probabile est rem esse*, æquiualet huic, *Hæc positio*, Res est, *habet pro, & contrà rationes fortes: non autem aut pro aut contrà vllam demonstratiuam.* Ergo, si est probabile *Rem esse*, erit etiam probabile *Rem non esse.* Ergo qui hanc secundam probabilem esse persuadet, hoc est, esse veram probabiliter suadet, illius primæ Probabilitatem non impugnat, sed reponit & firmat.

Quid sit Propositio probabilis

315 Hanc doctrinam non ignorauit Illustrissimus Borgias, est enim Vir doctus; & is non esset, si rem tam communem, & tam necessariam nesciret: at putauit, opinor, illam ab Orbe literario ignorari, siquidem nullâ omninò demonstratione munitus, sed præiudiciis nonnullis occupatus, & rationibus aliquibus elumbibus (sunto probabiles aliquæ, vt etiam locum habeat vrbanitas) Probabilitatem Doctrinæ Caramuëlis coram toto Orbe literario impugnandam assumpsit: ac, si in Scholâ Theologicâ non essent, qui scirent demonstrationes internoscere, & inferioris ordinis argumentationes esse inutiles, quando Probabilitas est impugnanda. Scholæ honorem Clarissimus D Franciscus Verde defendendum suscepit, & vt videat Posteritas etiamnum esse in Mundo Theologos, qui sciant Dialecticam (adeóque probabilitatem leuioris armaturæ syllogismo impugnari non posse: nobiliore & inuicto debere) Librum scripsit, quem *Positiones Selectas*, vt *Quæstionibus Selectis.* Illustrissimi Anti-Caramuëlis correspondere, inscribi voluit; in quo euidenter demonstrat, nihil ab Anti-Caramuële demonstrari: adeóque Caramuëlis Doctrinam, non expugnari, non tangi, non oppeti: imò, quod mirabilius, demonstratiuè confirmari. Vel, si dubitas, rem periclitemur. Dicit Caramuël, *Hæc positio*, Fornicatio, si à lege Dei libera præscindamus, non habet Theologicam malitiam, *est probabilis: authenticè, quia pro se Scotistas, qui milleni & milleni sunt, & omnes malitiam Theologicam ab interdictione Diuinâ*

Cur vsus non fuerit Borgias Logica?

An Probabilitas impugnari queat argumento probabili?

Borgias probat Caramuëlis doctrinã, cùm illãse putat impugnare.

An Decalogus sit lex liberal

An, si latus necessario dicatur, vt minimũ intimatus liberè, dicendus sit?

liberâ vnanimi consensu deriuant: *rationabiliter*, *quia habet pro se rationes ita fortes*, *vt licèt contra aliqua conformentur*, *nulla tamen vnquam demonstratiua*. Quid contrà Illustrissimus Anti-Caramuël? Hanc Doctrinam esse contra S. Thomam? Sed cur se & Lectores fatigat testimonia Angelici Doctoris congerendo: hoc enim ipsum, quod ait Illustrissimus Borgias; videlicet *interdictionem illam non esse liberam*, S. Thomam in Commentariis ad Magistrum negasse, & in Partibus asseruisse, sub initium confitetur Caramuël: ita erga S. Doctorem venerabundus, vt affirmet opinionem oppositam, si aliàs probabilitate careret, hoc solo titulo, quod D. Thomæ sit, à se iudicari probabilem. Caramuëli igitur nondum ab illo contradicitur. Et quid posteà Illustrissimus Dominus? Se habere Authores qui contrarium statuant? Hoc non negat Caramuël, ipsi igitur nec modò contradicitur. Quid ergo? Se habere rationes fortes contrà. Deus det, quod verum dicat. Vt-vt sit, hoc non negat Caramuël: nam, si hoc negaret, suam sententiam non diceret Probabiliorem, sed indubitatam & certam. Illi igitur nec modò contradicitur. Sed addet Illustrissimus Dominus, se habere Demonstrationes euidentes. Si hoc dicat, iam contradicit Caramuëli: si has ostendat, iam triumphat. Sed vbi illæ? In thesauro Omnipotentiæ Diuinæ, non verò in edito Anti-Caramuëlis Illustrissimi Libro. Hoc Clarissimus D. Franciscus Verde, euidenter ostendit, & ideò eius Opus iudico luce publicâ dignum, vt videant singuli, quàm multum Illustrissimus Anti-Caramuël præstare debuerit, & quàm parùm præstiterit: quod ipsum eidem Illustrissimo Domino erit gloriæ, quia *in magnis voluisse sat est*. Sic sentio. Datum Romæ, die 28. Ianuarij 1661.


Probabilitati se opponit certitudo, non autẽ Probabilitas altera.

D. DOMINICVS PLATVS, S. Theologiæ Professor, Abbas Dissenbergensis, &c.

CARA



CARAMVELI.



OTA domus duo sunt, dicebat ille. *a* Doctrinæ nostræ tota domus, THOMAS, CARAMVEL (illum dedit Mater Religio, huc Pater Eugenius) ergo duo sunt. Imò vnus, EST & CARAMVEL THOMAS. *Vtrique conuenit eruditi* b *Elogium de Augustino: Nullius honoris auidus, omnium capax*: Æquè scribenda faciens, ac legenda describens, Moribus suis fidem ornauit, *stylo defendit*, ac Theologi *c* de Basilio: *Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atquè ita eximiè versatus, quasi in eo solo elaborasset? Sic nimirum omnia complexus, vt ne vnum quidem quisquam, singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præter eà didicisset?* Vtrique debetur cognomen Angelicum. ANGELVS CARAMVEL Natalibus, ingenio, scientia, dignitate, virtute, beneficiis. Igitur si titulis abundat Angelicis, à natalibus Nobilissimus, ab ingenio Singularissimus, à scientia Ornatissimus, à dignitate Illustrissimus, à virtute Spectabilissimus, à beneficiis Colendissimus, cur sine titulis veneramur? Quia Angelus & supremus à Platonicis Deus nuncupatus. *d* Deo (docuisti nos Caramuël *e*) tituli non sunt adiungendi. Thomam, qui Angelicus est, & Diuinus sequimur quocumque ierit: & te quoque CARAMVEL vnde primo loco (datúrque omnibus argumentandi locus) has defendimus Theses, secundò Thomisticas.

a *Ouid.*

b *Thes.*

c *Nazianz. Or. 20.*


d *Apul. lib. scripsit de Deo Socra.*

e *In Theol. fundam.*

Quidquid CARAMVEL docet, benè docet.
Quidquid CARAMVEL dicit probabile, est probabile.
Si alij aliter sentiunt, vel non legerunt, vel non *f* penetrarunt.
Fundamenta CARAMVELIS cuius gloriamur esse.

f *Passer. Non omnes, eo pollet ingenio, quanto ingenio, ut Caramuelis ratiocinationes percipiendas opus est.*

Humillimi famuli, ac perpetui Discipuli
Theologi Carm. Discalc. Collegij Lyciensis.



CENSVRA.

De huius Apologematis Veritate & Vtilitate.

SVNT Euangelia Politica, & certè breuia, Hispanorum Adagia; & inter ipsa, istud me iuuat hodie, *el que mal pleito tiene, á vozes le mete*: quod de D. Fagnano ad literã verificatur. Vociferatur, exclamat, ignem aquam, aërem terram (dissymbola sunt elementa) confundit; terminos dissentientes inuoluit; contradictoria intexit; & quid posteà? Omnes Theologos notis iniuriosis inurit; & vbi syllogismi desunt, exclamationes & vociferationes substituit. *Y porque, causa tan graue mete auozes?* Respondeo *Porque tiene mal pleito.* Sed contra D. Caramuël, modestissimè loquitur, vrbanissimè scribit: Eiusdem D. Fagnani libros, quamdiu inter Canonum terminos se coërcent, & in ignota Theologiæ stadia non se insinuant, doctissimos esse fatetur. Authorem commendat, & laudat: & quà potest, excusat. *Y porque no lo mete todo á vozes? Porque tiene buen pleito.* Sanè in hac Propositione, *Ad securitatem conscientiæ non sufficit Opinio probabilis*, quæ noua & improbabilis est; [quam Ianseniftæ ante Pseudo-Augustini editionem protrudere voluerunt in Belgio, vt superuenienti Hæresi semitam peruiam aperirent, aut etiam si permitteretur, sternerent; quam post illius libri proscriptionem & condemnationem, omni nisu in Scholam propellunt, vt vel sic, Hæresim, quæ non erat tã extincta, quam sepulta, Orbi & luci restituãt, & hoc sub pietatis specie: quam D. Merenda heri, & D. Fagnanus hodie incaũte admittunt:] contineri omnes illas quinque Propositiones, quas Innocentius X. & Alexander VII. condemnarunt, solidissimè & clarissimè ostendit. Aperiendi sunt igitur oculi in re grauissima; & illi exhibendæ sunt gratiæ, qui dispescit tenebras, & lucem tam claram offundit. Hanc ob rem librum hunc impræsentiarum esse necessarium existimo, ne sub adulterino vitæ seuerioris vocabulo, Errores tanto Labore

ab

ab Ecclesiâ proscripti reuocentur. Sic sentio; & nomen meum subscribo. Neapoli Calendis Febr. M. DC. LXII.

F. LAVRENTIVS MAYERS, *Sacræ Theol. Mag. Ordinis B. Mariæ de Mercede & Redempt. Captiu. Ex Prouincialis, &c.*



CENSVRA.

TAMETSI purum nomen Caramuëlis sufficeret, vt sciret Lector, nihil contra Fidem aut bonos mores in hac Dissertatione latere; qui enim in solâ Bohemiâ supra viginti quinque hominum millia ad gremium Ecclesiæ reduxit, & ad Episcopatum euectus, tenui victu & amictu contentus, omnia donat pauperibus, lingua calamo & vitâ contra Heterodoxos concionatur, & ideò si quid in lucem edat, Αὐτὸς ἔφα, sufficiat, nec aliam Lector præstoletur Censuram. Interim quia & hunc legere Libellum, & ferre meam sententiam iubeor, obediam, & quid sentiam exponam.

Legi cum profectu & ædificatione hæc pauca folia, in quibus Orthodoxa doctrina contra subreptitias Iansenianistarum machinas & fraudes defenditur: in quibus impugnantur DD. Merenda & Fagnanus, Viri alias pij & docti, qui nescio quo fato toti Scholæ se opponunt, & non præuidentes quanta & qualia ex opinatione, quâ præueniuntur, scaturiant, nescientes omninò quid faciant, dum maximè seruire Deo & Ecclesiæ desiderant, sternunt viam, per quam proscriptus Iansenismus certissimè reuersiuus sit. Legi inquam; & libellum Authorémque sum veneratus, &, vt meam sententiam exponam, vtar Hieronymi *Præfat. in Danielem*, & *Præf. in Isaiam*, verbis dicámque, *Esse hoc Opus, gratum nobis, vtile Ecclesiæ, dignum posteris*. Ergo Catones rigidi *legant* (addo ego, fundamenta rationes & analogismos ponderent) *priùs, ne videantur, non ex iudicio, sed ex odij præsumptione ignorata damnare*. Legant, examinent, reperiéntque hoc Syntagma esse gratum Scholæ, quæ rigore argumentandi delectatur: esse vtile Ecclesiæ:


detegit

detegit enim Hæresim Ianſenianam ſub laruâ (videlicet ſub hac erroneâ Propoſitione, *Ad ſecuritatem conſcientiæ in materiâ fidei & morum non ſufficit ſententia probabilis*) vt incautos decipiet reuertentem; & tandem eſſe dignum poſteritate (aut etiam æternitate) nam Ianſeniſtæ obijciunt, vt ab ignorante vulgo audiantur, Scholaſticos eſſe Nouatores, & conſcientias hominum relaxaſſe: & hic ponitur ob oculos, & ita clarè, vt manibus palpari queat, hoc de Probabilitatis ſecuritate Dogma *Primò*, eſſe coætaneum Mundo; in ipſo Paradiſo ante Adami, imò etiam Euæ lapſum habuiſſe locum: à Veteris Teſtamenti Patribus, Apoſtolis, Romanis Pontificibus, Eccleſiæ Doctoribus cognitum & ad praxim reductum, nec fuiſſe vnquam Authorem Claſſicum, qui illud damnauerit. *Secundò*, eſſe neceſſarium Eccleſiæ; ipſum enim ſubditos in officio & obedientia continet. *Tertiò*, ſpatio centum annorum Authores ita conſcientias conſtrinxiſſe, vt ſiſti omninò debeant; quoniam, ſi conſtringere pergant, ſalutis viam, quam omnibus Chriſtus eſſe peruiam voluit, inuiam reddent. Ergo eſt Opus digniſſimum, vt lucem videat, legatur ab omnibus, vt multi errore, multi hallucinatione liberentur. Sic ſentio, & meum nomen ſubſcribo Neapoli Idibus Septembr. 1662.

D. Io. CHRYSOSTOMVS DE ACVNTIIS,
Iuris vtriuſque Doctor, &c.

Idem omninò ſentio.

D. DOMINICVS PLATVS,
Abbas Diſenberg. Ord. S. Benedicti,
S. Theologiæ Profeſſor, &c.



FINIS.

PRINCIPES ET SVITES
DE LA PROBABILITE'
EXPLIQVEZ PAR CARAMOVEL L'VN DES PLVS CELEBRES ENTRE LES Casuistes nouueaux, dans vn liure imprimé en 1652. intitulé *Theologia fundamentalis*.

CEt extrait comprend le principe general de la nouuelle moralle, qui est la doctrine de la Probabilité. On l'a tirée d'vn seul auteur, afin que l'on voye mieux que ce ne sont point des maximes détachées, qui ne soient soutenuës que separément, & qui ne se doiuent pas allier ensemble. On a choisy pour cela l'vn des plus celebres, & des plus sçauants de ces Casuistes, nommé Caramouel, qui est encore viuant, & que les autres regardent comme le flambeau des beaux esprits de ce temps, ingeniorum facem ; *& qui est en telle estime parmy eux, qu'ils ne croyent pas, que ce que* le grand Caramuel, *comme ils l'appellent, auroit approuué, puisse estre condamné de personne. On ne peut pas douter aussi qu'il ne soit bien instruit dans la doctrine de ces nouueaux auteurs, puisqu'il fait profession de ne lire presque que leurs liures, & qu'il croiroit son temps perdu en lisant les anciens Peres. C'est ce qu'il declare par ces paroles p. 22. qui peuuent faire iuger du caractere de son esprit.* Non multum ego temporis impendo, aut PERDO in veterum (Patrum) libris legendis ; non quod contemnam illos, sed quod omnia quæ pulchrè cogitarunt, jam sint à junioribus summo studio & ingenio elimata.

Pour bien entendre la doctrine de la probabilité, sur laquelle roule toute la science de ces Casuistes, il faut remarquer, que la question n'est pas s'il y a des opinions probables dans la morale. Personne ne doute, qu'il n'y en ait, quoy que le nombre en soit infiniment plus petit, que ne s'imaginent ceux qui reduisent en questions problematiques les plus certaines regles de nos mœurs, & qui n'ont point rougy de faire des volumes entiers remplis de ces decisions inoüyes jusques à cette heure parmy les Theologiens : Est & non est ; licet & non licet ; peccat & non peccat ; tenetur & non tenetur ; sufficit & non sufficit : *comme si l'école de Iesu-Christ estoit deuenuë tout d'vn coup vne école de Pyrrhoniens.*

Mais le venin de cette doctrine consiste dans l'vnion de ces quatre maximes, qui seruent de fondement à toutes les autres.

La 1. que lors qu'il y a differentes opinions probables sur quelque point, & que quelques-vns soutiennent qu'vne chose est defenduë, les autres au contraire qu'elle est permise, toutes ces deux opinions sont egalement seûres en conscience : & quoy que par necessité il y en ait vne des deux qui soit fausse, & contraire à la loy de Dieu, on ne laisse pas neantmoins d'aller au ciel par toutes les deux, & aussi bien par la fausse que par la veritable : vt quamcunque duarum viarum primò diuersarum homines inierint, rectà tendant ad superos : *comme dit Escobar Theol. Moral. Tom. 1. in Pral. cap. 3.*

La 2. qu'il est permis de choisir l'opinion la moins probable, & la moins seûre, en quittant la plus probable, & la plus seûre: c'est à dire que lors qu'on est en doute, s'il y a peché dans vne action, ou s'il n'y en a point, & que l'opinion qui soutient qu'il y en a, nous paroist plus probable, en sorte que tout consideré nous sommes de ce sentiment, il nous est neantmoins permis, & seur en conscience, de faire cette action que nous croyons plus probablement estre vn peché.

La 3. qu'vne opinion est probable lors qu'elle est appuyée d'vne raison, ou d'vne autorité considerable: & qu'il n'est pas necessaire que ces deux conditions soient jointes ensemble, l'vne ou l'autre suffisant. Ils appellent la premiere sorte de probabilité, probabilitatem intrinsecam; *& la seconde,* probabilitatem extrinsecam.

La 4. que selon le sentiment general des Casuistes vne opinion est probable, & peut estre communément suiuie sans crainte, lors qu'elle est soutenuë par quatre auteurs graues: & que plusieurs enseignent que l'autorité d'vn seul suffit.

C'est dans l'enchaisnement, & dans l'vnion de ces quatre maximes, que consiste la doctrine de la probabilité. Cet extrait, & ceux que nous auons donnez auparauant, en peuuent faire voir les pernicieuses suites. Mais pour fermer la bouche à tous ceux qui la voudroient defendre, il n'y a qu'à les aduertir, que l'Estat aussi bien que la Religion est obligé de l'estouffer, parce que tant qu'elle subsistera, on ne pourra iamais empescher que les detestables maximes cõtre la seureté de la personne des Roys, & contre leur autorité souueraine, qui ont esté si souuent condamnées par les Parlements, par les Vniuersitez, & par le Clergé de Frãce, ne demeurent toujours probables & seures en conscience, & ne soient regardées par ceux qui sont instruits en cette doctrine, cõme des voyes certaines pour aller au ciel; *puis qu'elles ont esté enseignées, non par vn, ny par quatre, mais par plus de vingt des plus celebres de ces Casuistes.*

Enfin pour donner en peu de paroles vn contrepoison qui ne puisse estre suspect, nous joindrons icy vn lieu celebre de S. Thomas, qui éclaircit toute cette matiere.

S. THOMAS. *Quodlib. 8. Art. 13.*

Vtrum quando sunt diuersæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minùs tutam, peccet; vt de pluralitate Prabendarum.

Respondeo, dicendum quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: vno modo, faciendo contra legem, vt cum aliquis fornicatur: alio modo, faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; vt si conscientia dictat alicui, quòd leuare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientiâ autem obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius quod agit; siue etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione. Illud autem quòd agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam; & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamuis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, vt pote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato quamuis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod verè licet habere plures præbendas, & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamuis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem; sed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum: & sic si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit; & sic proculdubio peccat, vt pote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem: aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.

I.

Deux sortes de Probabilitez, l'une par la raison, l'autre par l'autorité. Que l'une sans l'autre suffit. Que toutes les opinions probables sont egalement seüres d'elles-mesmes : Que par accident les plus douces sont les plus seüres : Et qu'il est permis de suiure la moins probable.

CARAMVEL *Theol. Fundam. p. 132.*

OPinio cuius nec veritas nec falsitas demonstratur, si sit valde verisimilis, nominatur probabilis; & quidem probabilitas nascitur ex graui motiuo, quo quis ad assentiendum inducitur; & est duplex : Rationalis, Authenticaque. Illa consistit in ratione : hæc in Authorum numero. Siue dicatur altera propositio alterâ verior, siue non, in probabilitate admittere gradus debemus, & asserere alias propositiones esse probabiliores, & alias minùs probabiles. Omnes opiniones probabiles sunt secundum se æquè tutæ. Benigniores etiamsi minùs probabiles, per accidens sunt securiores.

Sed quid requiritur vt sententia probabilis sit à ratione ? Vt non sit euidenter falsa, &c.

Et quid vt sit probabilis ab autoritate ? Vt defendatur à probis & doctis : Sed quot ?... Stando communi Doctorum sententiæ, ad probabilitatem authenticam sufficiunt quatuor.

Vt vna opinio sit probabilis, alterutra probabilitas sufficit : neutram habere debet quæ improbabilis. Probabilitas etiam minor excusat coram Deo.

II.

Que selon le sentiment commun des Casuistes, quatre auteurs suffisent pour rendre vne opinion probable; & que par vne consequence necessaire vn seul suffit aussi.

CARAMVEL *p. 137*

Communis Theologorum sententia postulat quatuor Autores in re quæ à multis tractatur: in hoc enim saltem omnes conueniunt, quòd opinio quatuor Autorum sit probabilis. Sed contra ego hanc rationem efformo, quæ solutione hucvsque caruit. Quidquid testantur quatuor Autores, est probabile. Sed ad probabilitatem non requiri quatuor Autores, quatuor testantur, imò viginti, aut plures. Ergo opinio vnius Autoris est probabilis.

III.

Trois conditions necessaires pour pouuoir dire qu'vne action est illicite, & que l'vne des trois manquant on doit dire qu'elle est permise.

Id. p. 138.

Quid est demonstrare rem esse illicitam ? Demonstrare eam rem non esse probabilem, Definitione XIV. libri Pacis, n. 1. p. 4. Sic inquam : Qui rem esse dicit illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet ostendere rationes, quæ malitiam probant, esse demonstratiuas; nempe tales quibus dari responsio probabilis non possit. Secundò debet etiam ostendere rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles esse. Ostendet si omnibus ad vnam dederit solutionem quæ euidenter sit vera. 3. Etiam debebit euidenter ostendere partem illam quæ bonitatem adstruit, non habere sufficientes autoritates, vt dicatur probabilis. Hæc omnia tria simul ostendere ille debet, casurus causâ etsi duo ex illis ostendat, modò vnum non ostendat.

IV.

Que les Euesques ne peuuent defendre les liures des Casuistes, que comme des marchandises, ou cõme nuisibles par accident; & non pas les condamner cõme mauuais.

Id. p. 89.

Quidam Episcopus in Belgio interdixit Ant. Dianæ resolutiones; iussitque vt nemo venderet, emeret, legeret, aut haberet. Et Bibliopolæ solliciti interrogabant, posset ne liber ille interdici ?

Respondi illis..... Si Dianæ libros Episcopus ille interdixit vt merces, viderint Consules & Reip. Patres, ad quem pertineat interdicere merces.. Si eosdem interdixit vt nociuos per accidens, nullam iniuriam Dianæ intulit, & suo fuit vsus iure : nemo enim in sua domo tenetur tolerare librum etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quòd si illos

condemnauit, hic jam haberent docti aliquid quod patienter tolerare non possent : non enim damnari possunt libri qui à doctis leguntur, approbantur, laudantur.

V.

Qu'il est impossible de condamner en elle mesme vne opinion probable, & qu'il est impossible aussi qu'vne opinion soustenuë par plusieurs Docteurs ne soit pas probable.

Id. p. 393.

Has ego synthefes subieci examini, ne mea sensa producerem, sed grandium potiùs Theologorum sententias, quas reiicere sit temerarium, cùm impossibile sit probabilem condemnare sententiam; & impossibile eam non esse probabilem, cui multi Doctores subscribunt. Qui enim propositioni à multis viris doctis assertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, superficiei latitudinem, & corpori profunditatem: hic negat definitionem definito competere. Nam propositio probabilis, si agamus de Authenticâ probabilitate, quâ Theologiam nostram stabilimus, illa est quæ ab aliquibus magnis viris asserta.

In hunc scopulum impegit quidam præcipuè Antistes, qui simul admittebat easdem propositiones esse Doctorum plurium, & easdem improbabiles esse : sed quid faciemus, aut dicamus homini incapaci doctrinæ! Qui enim hunc errorem non percipit, vt verum addiscat est incapax.

VI.

Qu'vne opinion probable, c'est à dire qui a esté soutenuë par des Casuistes celebres, ne peut cesser d'estre probable & seûre, si le contraire ne deuient article de foy par vne nouuelle definition de l'Eglise. Et qu'vne condamnation moindre que celle-là ne luy peut oster sa probabilité.

Id. p. 89.

2. Nulla ex prædictis synthesibus aliter potest suâ probabilitate priuari, quàm si contradictoria transeat in articulum fidei. Patet, quia opinio probabilis est quæ à magnis & multis defenditur. Et tamen humanitus non poterit fieri, quòd illi Doctores, qui subscribunt, multi aut magni non sint. Vel finge quemcumque casum possibilem præter definitionem Ecclesiæ: congregentur vniuersi Europæi, docti, indocti, magni, parui; non tamen poterunt facere aut verè definire, viginti non esse viginti, aut viros eximios & summarum Academiarum lumina non esse magnos. Videas igitur quàm stupidè TITIVS contra tot Academiarum illustrissimarum soles fuerit ausus. Et inuidiæ ignoranti condoleas.

VII.

Que supposé la doctrine de la Probabilité tout ce que quelques Casuistes escriuent pour condamner quelques opinions relaschées des autres, ne sert de rien; parce que cela n'empesche pas que ces opinions des autres ne demeurent probables.

Id. p. 612   IV. De secreto.

Scripsit eruditissimum tractatum DIANA de Confessionis sigillo (est partis quintæ vndecimus) & in toto seuerissimè Philosophatur, & meritò; iniuriæ enim sunt Christo & sacramento omnes laxæ sententiæ, quæ in hac materia circumferuntur. Vtinam cum agitur de sacramentali sigillo esset bona consequentia hæc : *Opinio laxa condemnatur à* DIANA : *ergo est improbabilis*; ego enim nihil scribere aut vociferari deberem : at quidquid DIANA & alij clament, opiniones contrariæ dicuntur manere probabiles, & petram offensionis non tolli; & ideò vnam aut alteram quæstionem adiungo, &c.

VIII.

Que lors qu'il n'y a encore qu'vn Auteur graue qui ait traitté d'vn cas en propres termes, son opinion est moralement certaine & plus que probable. Exemple de la doctrine du P. L'AMY, qui donne permission aux Religieux de tuer pour des calomnies.

Id. pag. 545.

Puto hanc debere positionem admitti. Quando occurrit materia de qua in terminis & ex professo vnus solus Author grauis tractauit, eiusdem Authoris resolutio dicenda est moraliter certa (hoc est omni probabiliore securior) quousque dentur Authores etiam graues, qui in terminis illam impugnent; tunc enim remittet certitudinem & incipiet esse Probabilior, æquè-probabilis, minùs-probabilis, prout aduersarij sint pauciores vel plures; &

tunc

tunc demum improbabilis erit cum ab vniuersis reiicietur. Cum igitur hanc quæstionem in terminis tractarint pauci, omnesque stent ab AMICO, nemo in terminis contrà: [nam DIANA, vt statim videbimus contra non est, & vt esset, solum inde sequeretur vt plurimum contrariam etiam esse probabilem, quod non admitto, & demonstrabo inferiùs; qui enim AMICI doctrinæ contradicunt; inconuenientia politica assignant; ac si ex veritatis notitia non orirentur quotidie in aliis materiis plurima inconuenientia] sequitur resolutionem AMICI esse certam & indubitatam ab extrinseco.

IX.

Qu'on ne doit point alleguer les loix Ciuiles ou Ecclesiastiques contre les nouuelles opinions des Casuistes; parce qu'estant plus jeunes que les loix, elles ne peuuent y auoir esté expressément condamnées.

CARAMVEL *p.* 549.

Anne eadem doctrina (AMICI de occidendo calumniatore) poterit admitti stando iure ciuili aut canonico. Respondeo hanc quam modo proponis esse quæstionem de facto, nec à speculatione pendere. Addo AMICI doctrinam esse nouam & legibus vulgatis IVNIOREM, atque adeo nihil de illa à Pontificibus, Cæsaribus, aut Regibus fuisse dispositum.

X.

Que les inconueniens & les dangereuses suites qui naissent des opinions probables, n'empeschent point qu'elles ne soient probables.

CARAMVEL *p.* 549.

Dices ex hac doctrina multa suboriri inconuenientia, & ideo reiiciendam esse. Et respondeo hanc, ex tali aut tali assertione magna pericula & damna suboriuntur, ergo est falsa, non esse bonam consequentiam...... Hinc est, quod ego iudicem summa inconuenientia sequi ex multis opinionibus quæ hodie circumferuntur, nec tamen ideò illas improbabiles esse. Multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus; multa ex occultis compensationibus; multa ex licentia occidendi iniustum iudicem aut testem, quam nonnulli concedunt; multa etiam ex illa opinione quæ docet de occultis non iudicare Ecclesiam; multa ex aliis; quibus tamen non obstantibus inconuenientibus illæ sententiæ in terminis, quibus hodiè in scholis traduntur, sunt vt minimum probabilissimæ & à nemine damnari possunt.

XI.

Qu'il faut reformer la Logique, parce que celle qu'on a enseignée jusques icy ne s'accorde pas assez bien auec la doctrine de la Probabilité.

CARAMVEL *p.* 550.

Hinc patet Logicam reformari debere, & totam illam Dialecticæ partem, quæ à simili, ab exemplo, à minori ad majus, à maiori ad minus, ab impossibili, ab inconuenienti, ab absurdo, & innumera alia quæ ab Authoribus passim traduntur, in Moralibus claudicare, & expungi, aut rescribi debere. Hanc ego ob causam Moralem Grammaticam, Moralem Logicam, & Moralem Philosophiam scripsi, quas præmittam Nonæ totius Theologiæ Moralis editioni, quam apparo.

XII.

Vsage de la doctrine de la Probabilité pour autoriser les plus méchantes decisions.

CARAMVEL *p.* 552.

Non volo examinare, vtrum hæc opinio sit probabilis? (licitum esse fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam vel fustem, illumque vulnerare & percutere.) Malo enim id supponere; quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ tanto & tantorum scriptorum numero stabilitæ? Quis intrinsecam tantis rationibus firmatæ? Sed infero. Ergo qui fecerit quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse.

IDEM *p.* 550.

Probo minorem etiam, videlicet esse probabile non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, vt suam iustitiam & honorem defendat: quia illud est probabile, quod asseritur à viris doctis probisque; & hæc doctrina habet pro se viginti aut plures viros magnos & doctos, qui si dicantur non sufficere, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia. Vide *Gasparum Hurtadum* disp. 4. de reo, diffic. 1. *Dicastillum* de Iust. l. 2. tract. 2. disp. 12. part. 4. dub. 2. n. 404. *Dianam* part. 9. tract. 8. resol. 43. p. 356.

XIII.

Que les Iuges ne peuuent condamner ceux qui ont suiuy vne opinion probable, comme seroit celuy qui auroit tué pour la deffense de son honneur; & qu'il en est de mesme de l'excommunication, &c.

CARAMVEL p. 201.

Vt iudicem integerrimum agas, inquiris primò, An punire illum possis, qui sequutus opinionem probabilem? Secundò, An excommunicari possit inobediens, si pro se opinionem probabilem habeat? Tertiò, An qui occiderit ob defensionem vitæ? Quartò, An qui occiderit ob defensionem diuitiarum? Quintò, An qui occiderit ob defensionem honoris? ...... Et ad omnia dubia respondeo negatiuè. HÆC OMNIA MIHI CLARA ET CERTA.

Idem in Commentario in Reg. S. Benedicti l. 1. n. 65.

Petrus secutus opinionem benignam probabilem, non satisfecit mandato sui Abbatis in casu, in quo probabiliter non tenebatur obedire, & probabilius tenebatur. Prælatus subscribens sententiæ feueriori iudicat illum debuisse obedire, ac propterea peccasse. Petitur, an possit contra illum procedere, & punire tanquam inobedientem.

66. Sublato omni scandalo & aliis extrinsecis inconuenientibus, quæ communiter in talibus casibus reperiuntur; si id acciderit vt ponitur, puta si secretò contigerit, aut coram doctis qui scandalum pati non possunt sine causa; Respondeo Petrum non peccauisse. Addo posse Prælatum subscribere alterutri opinioni, ac propterea censere Petrum habuisse obligationem obediendi, sed illam inuincibiliter ignorauisse ductum opinione probabili. Nihilominus temerè iudicat Prælatus eum peccasse, quia improbabile est eum peccare, qui sequitur opinionem probabilem, vt num. 59. ostendi. Cum ergo improbabile sit Petrum peccauisse, iniustus erit ille Antistes, qui contra illum procedet: quia vbi non est culpa, nec medicinâ est opus nec pœnâ.

XIV.

Que ceux qui suiuent les opinions probables les plus douces, c'est à dire les plus relaschées, telles que sont celles qui sont approuuées par Diana, doiuent estre appellez non seulement des soldats genereux, mais aussi des Vierges; *parce que ces opinions donnent moyen d'agir dans tous les preceptes de l'Eglise auec vne telle pureté, qu'on n'y commet pas mesme vn seul peché veniel.*

CARAMVEL *in Epistolâ ad Anton. Dianam p 24.*

Quibus autem posteriores (sententiæ mitiores) arrident, non solum milites, sed *Virgines* etiam appellantur. Sed cur? Exponam breuiter. *Nauarrus* & quotquot internam attentionem requirunt in officio diuino verbi gratia, considerata viuacitate humani ingenij, concludunt vix aut ne vix quidem posse hominem satisfacere sine aliqua distractione veniali: sic de præceptis alijs pariformiter philosophantur: at nos, qui contrà generosè sentimus, & sensum nostrum armato ratiocinio firmamus, non solum milites sed & *Virgines* sumus; possumus enim ita Horis, aut aliis etiam Ecclesiæ præceptis satisfacere, vt ne in leuem quidem culpam labamur. Prolatio enim & quæcunque alia extrinseca operatio, est facillima; & humanæ Principum leges (Ecclesiasticæ aut sæculares sint) non præcipiunt internas. Porro conscientia quæ sine veniali operata est, virgo est; & fortissima miles, quæ vinci non timet, nam inuita non potest. Sic sentimus, & quia hac nos conducit Regularis hic Agnus, dum philosophamur generosè & clementer, sequimur *Agnum* (nimirum *Dianam*) quocumque ierit. Certi enim sumus tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, vt quærenti, an hoc aut illud liceat? sufficiat respondere ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ, hoc est, *Diana dixit.*

XV.

Que par le moyen des opinions probables on satisfait à l'Office diuin sans aucun peché veniel, quelque distraction que l'on y ait, mesme volontaire; parce qu'on n'a qu'à croire probablement que l'Eglise ne commande que la recitation exterieure, sans qu'on soit obligé à aucune attention interieure. Caramuel *pour recommander l'vtilité de cette inuention, declare parlant de luy-mesme, qu'il ne se confessoit pas en vn an vne fois d'auoir fait la moindre faute venielle en disant son*

Breuiaire, mais qu'au contraire il pouuoit jurer qu'il n'en auoit fait aucune, quoy qu'il eust souuent plusieurs distractions mesme volontaires.

CARAMVEL p. 154.

Solent aliqui angi scrupulis & suadere, solent etiam præcipere viam tutiorem in materia probabili. At ipsi *videbantur mihi non percallere probabilitatis essentiam*, & ideo in Commentario meo in Regulam D. Benedicti Disp. 6. de opinione probabili n. 58 & 61. duas Theses posui. Prima erat: *Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ.* Secunda, *Benigniores etsi aliquando sint minus probabiles, per accidens sunt semper vtiliores & securiores.* Rationem dedi: & quia est solidissima, nec formam nec materiam mutabo. Primam ergo sic probo. Illa opinio est tuta & secura in conscientia, quæ si iuxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali & veniali: at hoc æquè præstabit quæcumquè probabilis opinio: Ergo quæcumque est æquè tuta & secura. Secundam sic. Inter duas opiniones, aliàs æque tutas & securas, si exactè opereris, illa tutior & securior dicenda adhuc erit, juxta quam certius præscire poteris te operaturum exactè: Atqui hoc habent sententiæ benigniores: cognita enim humana fragilitas, nos in suspicionem ac diffidentiam nescio quam inducit, cùm proponuntur res arduæ & difficiles, quæ abest aut cessat cum proponuntur faciles. Rem exemplo dilucido. Debeo legere officium diuinum: & quia duæ dantur opiniones probabiles; altera, quæ internam attentionem requirit, altera quæ non requirit; tametsi sit verior & certior hæc posterior, ponamus vberioris doctrinæ gratiâ, internam attentionem probabilius requiri. Sed quam tunc opinionem babebo? Tutiorem ais Adquiesco; at interrogo, vtra sit tutior? Porro si exactè juxta seueriorem operaturus sum, vtraque est æquè tuta: & si attentionem internam habuero, seu priorem, seu posteriorem sequar non peccabo. Sed quis me securum, & tutum reddet de attentione? quis spondebit mihi, me sine distractione Horas Canonicas recitaturum? Ergo præuideo periculum non ortum ab opinione seueriore, sed à propria fragilitate; periculum tamen quod seueriorem opinionem comitatur, & adesse benigniori non potest. Ergò benignior, etsi supponatur esse minus probabilis, est securior & tutior. Rem eandem illustro aut exemplo altero, aut priori vlterius nonnihil promoto. Sic discurro. Habes opinionem seueram Benè est Prouolueris ad pedes meos, & statim fateberis distractiones in oratione & officio venialiter vt minimum peccaminosas. Propones scrupulos, & te non rarò relegisse aliquas horas dices, quia debitam attentionem habuisse non putabas. Audio patienter singula, & interrogo an vel vnica die legeris officium Canonicum sine distractione veniali? aut certò, aut probabilius negas, dicesque vix id esse possibile viro ingenioso & multis negotiis implicato. Finem imponis confessioni, & absolueris. Surgis, & oro vt me sacramentaliter audias. Adquiescis, & meas ego culpas (heu nimis multas!) quâ possum contritione confiteor, & de officio diuino ne quidem verbum ago. Petis an non peccauerim in horarum lectione? & respondeo, *Me tota hebdomade, toto mense, toto anno, &c legisse sine culpâ veniali: & me non peccauisse venealiter, tam certò scire, vt possim* IVRAMENTO FIRMARE; An non miraberis? an non piâ quadam deuotione inuidebis? Omnino. Sed vnde ego hinc immunitatem obtinui? Respondebo. Homo sum temetipso fragilior, præditus acri & igneo ingenio: vno momento cœlos verso, altero ad subterranea transeo. Nulla in oratorio mouetur musca, quæ mihi non sit impedimento. Attendere lectioni desidero, & quam possum attendo, sed distractiones non euito; inuoluntarias millies, interdum etiam VOLVNTARIAS: AT NIHILOMINVS NVLLO CRVCIOR SCRVPVLO, NVLLO DVBIO ANGOR, QVIA PRVDENTER SVPPONO, ME AD ACTIONEM INTERNAM NON TENERI; eam habere bonum esse, & EA CARERE NE QVIDEM ESSE LEVEM CVLPAM; me ad lectionem tantùm & attentionem externam obligari. Me legisse totum quod Rubricæ jubent, certò scio; ita certò vt possim jurare: ERGO ME NE VENIALITER QVIDEM PECCAVISSE IN HAC MATERIA CERTO SCIO; ET ITA CERTO VT POSSIM IVRARE, Habeo igitur immunitatem, securitatem & tranquillitatem, quibus cares, & quas habere poteris, cum volueris: est enim tibi liberum deserere opinionem probabilem quam habes, & contrariam opinionem amplecti. HÆC CERTA SVNT ET VALDE NOTANDA PRO PRAXI.

XVI.

Que de deux opinions probables contraires, vne mesme personne peut à sa fantaisie se seruir de l'vne, & vn moment apres de l'autre, quelque dommage que le prochain en puisse receuoir. Que cette doctrine est vraye quelques inconueniens qui en arriuent, & quoy que par ce changement d'opinion on s'exempte d'obseruer les com-

mandement de l'Eglise, parce que ces commandemens sont fort anciens, & que ces subtilitez sont fort nouvelles ; & qu'ainsi l'Eglise ne les ayant point preueuës, ne les a point aussi defenduës.

• CARAMVEL *pag.* 143.

Has ego Theses tanquam *certas* assumo.

Prima. Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licitè tenere alteram. *Hanc judico luce meridianâ clariorem.* Sed neque illam non admittit *Lugo* ; ait enim num. 48. Ego tamen non facilè id concedam : & aliud est, me judice, vnam propositionem non concedere, & aliud illam quidem concedere, sed non facilè : quam differentiam altè intelliget, qui legere historiam sequentem dignabitur.

Vidi semel ingeniosum & doctum subditum nescio quid à Seuero Abbate postulare. Negat iste : instat alter iterum, iterumque : & tunc Abbas : Concedo licentiam, quam postulas ; sciat tamen me illibenter hoc facere. Et illi subditus : Numquam ego petij quod libenter hanc licentiam concederet, sed quod concederet. Ergo similiter ad nostrum casum. Hanc Thesim concedit *Lugo*, sed non facilè ; & ego aio, *modo illam concedat, me non curare, vtrum illam concedat facilè, vel non facilè.*

Secunda. Ex hac libertate nullum præjudicium tertij sequitur, at multa inconuenientia & damna tertij consequuntur. Nullum sequi præjudicium ostendo ; quoniam qui suo vtitur jure, etiam cum damno tertij, nemini præjudicat : est enim præjudicium non qualecunque damnum, sed illatum injustè. At omnia illa inconuenientia quæ enumerat *Lugo*, ex hac doctrina sequi certum est, justè tamen.

Tertia. Hæc est mala consequentia [ex hac doctrina magna inconuenientia sequuntur : ergo non est probabilis] Patet, quia ex certissimis & euidentissimis propositionibus magna damna aliquando sequuntur, & nihilominus sunt veræ.

Quarta. Hæc propositio [Ecclesia quæ jeiunium, officium diuinum, &c. præcepit, compræcipit ne quis mutet sententiam probabilem eo casu, quo ex tali mutatione hæc præcepta posse non obseruari sequeretur] est falsa. Cum vidit *Lugo* ex natura rei manere libertatem mutandi opinionem probabilem, confugit ad superioris præceptum : sed hoc effugium nullum est ; quia habere hanc vel illam sententiam, est actus merè internus, nec humanæ authoritati subditus. Et si diceretur Ecclesiam de occultis judicare, fortè adderem Ecclesiam compræcepturam fuisse, ne quis casu posito opinionem mutaret, si hic casus fuisset illi propositus ; nam aliud est, Ecclesia præcepit, & aliud, Ecclesia præcepisset si præuidisset hoc : CERTVM EST ENIM PRÆCEPTA HÆC ESSE ANTIQVISSIMA, ET HAS SVBTILITATES AB ANNIS PAVCISSIMIS MOTAS. Dico igitur veteres legislatores hæc inconuenientia non præuidisse. Suspicor eos, si illa præuidissent, laturos fuisse aliquam legem circa mutationem dictaminis probabilis ; non quæ respiceret actum purè internum, sed quæ opus externum, puta si Ecclesiasticam diem juberent juxta primum horologium seruari. Addo ejusmodi legem nondum latam. Et subiicio motis nouis dubiis, & nouis cognitis inconuenientibus, expedire vt nouâ lege Ecclesia veterem legem propugnaret.

Quinta. Qui iniuit contractum merè probabilem, si suo jure cessit, tenebitur stare contractui ; aliàs non. At si mutet dictamen, inquies, procedet in præiudicium tertij. Nego præiudicium, & concedo liberè tertij vel jacturam, vel damnum : quoniam si tertius hoc præuidit, & adhuc iniuit contractum, sibi imputet qui socium potuit strictius obligare, & omisit : si non præuidit hoc damnum, enumeret inter infortunia quæ ignoranter frequentissimè incurrimus, & solam accuset ignorantiam.

XVII.

L'Exemple de la doctrine precedente ; qu'vne personne ayant entendu sonner my-nuit du samedy au dimanche, & ayant fait vn bon repas de viande, si apres qu'il a mangé, my-nuit sonne à vne autre horloge, il peut communier le lendemain comme estant encore à jeun : parceque ces deux horloges tiennent lieu de deux opinions probables, & qu'ainsi suiuant la premiere il a pû manger gras, comme estant desia dimanche ; & que suiuant la seconde il peut croire n'auoir point mangé le dimanche, mais seulement le samedy.

CARAMVEL *p.* 139.

Propono alterum casum [Petrus die sabbati, sub mediam noctem, vt primum audiuit duodecimam, comedit carnes, & postquam *satur* excessit è mensa, audiuit aliud horologium significans

significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurrit. Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam antè quam tale Horologium sonuerit. Ergo probabile est quod comedi ante duodecimam. Ergo probabile quod sim ieiunus. At opinioni probabili conformare conscientiam possum. Ergo potero communicare] & volo scire cur communicare non possit; nam stando doctrinæ præcedenti potest: & ego in toto hoc Petri discursu, *quod possem aut negare aut reprehendere, nihil inuenio.*

XVIII.

II. Exemple: qu'vn Ecclesiastique s'embarquant & n'ayant porté que son Diurnal, selon l'opinion de SANCHEZ, *qui enseigne qu'on satisfait à l'Office Diuin en disant ce qui est dans le Diurnal, peut estant sur mer ne rien dire de son Office en changeant de sentiment; & suiuant celuy de* SANCIVS *qui dit, qu'on n'y satisfait pas en ne disant que le Diurnal, & qu'ainsi celuy qui n'a qu'vn Diurnal n'est obligé à rien.*

CARAMVEL *p.* 138.

His principiis insistens proposui casum difficilem in comm. in Regulam S. Benedicti Disp. 117. n. 1446. quem ex dictis poterit quicunque resoluere. Ille erat [Paulus ingressurus nauim maioris commoditatis gratiâ contulit secum Diurnale subscribens *Thomæ Sanchez* in sum. Tom. 1. c. 19. n. 8. affirmanti legentem ea quæ continentur in Diurnali, officio diuino satisfacere. Postquam autem soluerunt è portu, mutauit dictamen, & secutus sententiam *Ioan. Sancij* in Select. disp 15. n 2. asserentis in Diurnali non contineri integrum officium diuinum, ac proinde carentem Breuiario, licet Diurnale habeat, non teneri legere officium Diuinum; illud non legit] Sed quomodo respondendum hanc difficultatem proponenti? In loco citato hæc scripsi: [Vt exactè respondeam, opus est omnes circunstantias expendere. Paulus primò *Sanchezij* sententiam sequebatur, *& benè faciebat, quia est* GRAVIS *author ac probabilis eius sententia* Ex vi huius dictaminis, potuit sine culpæ grauis scrupulo relinquere Breuiarium in terra, & solum conferre Diurnale. Secundò assseritur Paulus mutasse dictamen, & hoc humanum est & rationale. Homo non est suarum opinionum mancipium. Cum probabile dictamen mutat, vtitur sibi cœlitus concessa libertate, *& benefacit*, Fidei orthodoxæ, dogmatibus, demonstrationibus ac principiis per se notis subest ingenium: probabilibus sententijs *superest*; ideoque quam liberè sententiam *Sanchezij* approbarit, tam liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus sine conscientiæ scrupulo mutare dictamen; & valedicens vni Authori, sequi alterius opinionem probabilem. Tertiò dicitur Paulus noluisse vti Diurnali, & defectu Breuiarij multis diebus, quibus in naui fuit, horas non recitasse: nec tamen peccauit mortaliter; operabatur enim juxta conscientiæ dictamen, quod erat probabile & prudens, subnixum *Sancij* authoritate.

Id. pag. 144.

Sed quid si Paulus cum habuit primum dictamen, etiam habuit simul intentionem illud mutandi? Negat hanc mutationem posse fieri Cardinalis de Lugo, &c... Hæc dicta sunt in opinione admittentium actus voluntatis virtuales & interpretatiuos, quos permulti negant. Quod si partem probabiliorem sequaris & asseras non dari interpretatiuas volitiones, &c... suppositionem debebis admittere .... Dices quando Paulus ingressus est nauim, voluit mutare dictamen? Ergo voluit non legere. Patet quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omissio. Ergo peccauit grauiter: quia mortiferè peccat, qui vult non legere cum potest, & Paulus antequam è portu solueret, poterat conferre Breuiarium & legere. Multa hìc confunduntur, quæ expenderem, nisi temerem censeri nimis prolixus. Respondeo itaque concedendo Paulum, cum ingrederetur nauim voluisse mutare dictamen: & distinguo Consequens. Voluit ergo non legere, hoc est omittere horarum lectionem, quam tunc judicaturus erat obligatoriam, nego: Illam quam tunc judicaturus erat non obligatoriam, concedo. Ergo peccauit grauiter; nego subsumptam consequentiam: vt enim actio non sit peccaminosa, correspondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito, sed illi quod est præsens, quando illa fit; omissio autem officij diuini, licet esset contra dictamen prius, erat tamen secundum dictamen, quod habiturus erat Paulus, cum lectionem erat omissurus.

XIX.

Qu'il s'ensuit de la doctrine de la probabilité par vne bonne & legitime consequence, que l'Eglise ne peut ny commander, ny deffendre aucune action qui se fait ...

secret ; & qu'ainsi on ne pecheroit point en mangeant en secret de la chair les vendredis, ou ne disant point son breuiaire, pourueuque personne n'en sceust rien, &c. Que ces suites sont improbables, & que neantmoins elles sont legitimement tirées de la doctrine des opinions probables. De sorte que cette doctrine pourroit produire dans les Escholes l'heresie des Independans d'Angleterre.

CARAMVEL p. 205.

Nolo examinare an iudicet de occultis Ecclesia ? Negatiuam esse probabilem sententiam suppono ; & inquiro, an posito quod non judicet de illis quæ sunt per se occulta, judicet de occultis per accidens ? Respondent communiter, quòd sic. Et tamen ego volo videre vnam rationem quæ probet Ecclesiam non judicare de occultis per se ; quæ tamen non æquè probet eamdem non judicare de occultis per accidens. Ideò, inquiunt, Eclesia non judicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se : ergo ipsa per accidens carebit authoritate judicandi de illis, quæ cognoscere non possit per accidens : eumdem enim effectum, quem causa per se dat per se, causa per accidens dat per accidens : nam si ignis est calidus per se, & opponitur frigori per se, aqua dum est calida per accidens, opponitur frigori per accidens.

Vt hanc doctrinam firmem produco DIANAM, qui part.2.tract.12.resol.2.interrogat, an qui voluntariè distractus horas recitat, præcepto Ecclesiæ, & capiti Dolentes satisfaciat? Respondetque benignè & doctè ; & vt responsionem suam firmet vtitur hoc argumento. [Nemo potest præcipere aut vetare, quod non potest punire : sed non potest punire quod non potest cognoscere & judicare ; sed Ecclesia extra confessionem non potest cognoscere & judicare actus internos : Ergo dicendum, quod non potest eos præcipere aut vetare.] Et ex his fundamentis statim argumentis oppositæ sententiæ satisfacit.

At ego doceri à DIANA velim, an hoc eodem argumento, quo attentio interna excluditur, non possit etiam æquè excludi lectio occulta priuata ? Peto, an quando non dantur testes & arbitri, teneatur aliquis legere canonicas Horas priuatim ? Respondet Titius negatiuè, & ingenio DIANÆ (imò aliorum qui eius sententiam amplectuntur) vsus aut abusus, sic inquit......Nemo potest præcipere aut vetare, nisi possit punire : & nemo potest punire, nisi possit judicare : & nemo potest judicare, nisi possit cognoscere. Ergo si res sit per se & essentialiter incognoscibilis, erit per se & essentialiter injudicabilis, per se & essentialiter impunibilis, & per se & essentialiter impræceptibilis. Ergo si res sit per accidens incognoscibilis, erit per accidens injudicabilis, per accidens impunibilis, atque etiam per accidens impræceptibilis. Atqui lectio Horarum occulta, & etiam omissio ejusdem lectionis occulta per accidens est incognoscibilis ; (superior enim, qui externos subditorum actus verè occultos & secretos cognosceret, non esset jam homo, sed Angelus. (Ergo per accidens est injudicabilis. Ergo per accidens est impunibilis. Ergo per accidens est impræceptibilis. Ergo per accidens accidit superioribus, quod non possint interdicere actiones aut omissiones secretas & occultas per accidens.

Huic rationi addit vires Tridentinum Concilium sess.24.c.1.ibi enim agit de inconuenienti plurimo, quod ex matrimonio clandestino suboritur ; & ait : Cui malo cùm ab Ecclesia quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c. Ex quibus verbis hoc potest argumentum formari. [Ideò Ecclesia de clandestino matrimonio non judicat, quia de occultis non judicat : Ergo illa occulta, de quibus illa non judicat, non sunt tantummodò occulta per se, sed etiam occulta per accidens : quia matrimonium clandestinum non est occultum per se, sed per accidens.]

Videtur huic subscribere opinioni *Escobar* Moral. Theol. Tract. 1. Exam. 7. c. 3. Nam sequutus *Sanchez*, *Comitolum*, *Fagundez*, & *Sà*, docet eum qui ex occulto duellum respicit, non incurrere in excommunicationem.

Bone Deus, si hæc opinio semel admitteretur, actum esset de totâ aut ferè superiorum authoritate. Subditi obedirent ad oculos, & priuatim omnia mandata (Ecclesiastica aut secularia) temerarent. Nemo peccaret, qui secretò comederet carnes diebus veneris : nemo qui diebus jejunij secretò comederet tertiò vel quartò : nemo qui secretò omitteret officium diuinum. Nimia omnia & improbabilia, ET TAMEN LEGITIMÈ ILLATA EX DOCTRINA PROBABILI. Vt video ex hac doctrina ORIRI IN NOSTRIS SCHOLIS POSSIT INDEPENDENTIVM ILLA HÆRESIS, quæ ab annis paucùlis inficit Angliam. Quærenda igitur est ratio probabiliore certior, quæ hanc doctrinam perniciosam debellet. Ergo, Theologe lector, me juua. Ergo vel mihi ostende, cur antecedens non sit

probabile, aut cur consequens sit probabile: aut tandem ostende errorem in argumentationis nostræ formâ, quoniam doctior esse desidero, nec aptos Magistros inuenio.

XX.

Consequences redicules, quoy que necessaires, tirées par Caramouel d'vne opinion enseignée par plus de huit Casuistes, & par consequent probable selon leurs maximes.

1. CONSEQVENCE. *Que Caramouel approuue en cet endroit comme tres-probable, qu'en se confessant & communiant à Pasques, on peut satisfaire au precepte de l'Eglise pour deux années, la precedente, & celle qui suit.*

CARAMVEL *pag. 216.*

Si me amas, Lector, & Doctrinæ consequentiam sectaris, responde, obsecro, mihi, anne possim simul eodem tempore duabus eiusdem præcepti partibus satisfacere? Asserent omnes, qui tenent me posse simul tempore audire duas Missæ partes. Vide DIANAM p. 2. tr. 17. res. 18. Infero: Ergo si eodem tempore possumus, etiam eâdem actione. Concedisne omnia? Ergo prosequere, & responde sequentibus.

P. 217. De confessione & communione annuâ: An vnica duorum annorum obligationi satisfaciat?

Præcepit Ecclesia, vt singulis annis confitearis, & sanctam Eucharistiam recipias; & determinat ad tempus, nimirum à Dominicâ Palmarum ad Dominicam Quasimodo. Ergo his diebus poterit Petrus communicare, vt satisfaciat præcepto anni elapsi. Ergo his etiam diebus poterit, vt satisfaciat præcepto anni futuri. Ergo si bis communicet, semel pro anno priori, & semel pro posteriori, duobus præceptis & pro duobus annis satisfaciet. Admittunturistæ tres consequentiæ communiter. Sed quid, si semel tantùm communicet? Anne vnicâ ille communione pro duobus annis satisfaciet? Probabilissima est assertiua sententia.

2. CONSEQVENCE. *Qu'en disant vne seule fois Matines & Laudes vers le soir, on peut satisfaire au precepte de les dire pour ce jour là & pour le lendemain.*

Ibid. de lectione diurnâ. An vnicâ lectione aliquis duorum dierum obligationi satisfaciat?

Multum debent Dialecticæ cæteræ Facultates, & Theologia Moralis plurimum; multæ enim opiniones in illâ solâ rationis paritate probantur. Peto igitur, vtrum ille, qui vespere Matutinas & Laudes recitat, duorum dierum satisfaciat obligationi? Ante quæstionis resolutionem suppono primò, posse Ecclesiasticos vespere sine mortali culpâ legere Matutinas & Laudes diei præsentis sequentisque.. ...Satisfaceretne vtrique penso si semel tantùm legeret Matutinas & Laudes? Patientiam habe in me & omnia reddam tibi.. ...

Opinio prima affirmat simplicem Matutinarum & Laudum lectionem, si fiat sub vesperum, duorum dierum obligationi satisfacere; & probat: quia vnâ & eâdem actione potest Philippus simul satisfacere duobus præceptis numero distinctis eodem tempore concurrentibus.. ....

Huic ex diametro opponitur sententia altera, asserens non posse eâdem recitatione satisfieri vtrique obligationi.

Il examine ensuite les raisons de part & d'autre: & voicy de quelle sorte il respond aux principaux argumens de ceux qui condamnent cet abus, p. 220.

Prima ratio timet abusus, & morum aliquam deformationem, sed perperam: quoniam sequi rationem probabilem nec abusus, nec relaxatio, sed virtus est. Virtus enim est obligationi satisfacere, & qui operatur probabiliter, satisfacit obligationi.

Secunda ratio authores potiùs respicit, quàm syllogismos. Sed etsi nemo subscribat asserenti sententiæ, quis hucusque propugnauit negantem? Ergo æquè singularis erit qui negat, atque ille qui asserit, quousque authorum numerus alterutri parti faueat.

P. 222. proposui hanc doctrinam eximio cuidam doctori Iesuitæ, Theologiæ moralis à multis annis professori, & hîc Pragæ docenti; & respondit, sibi videri benignam sententiam probabilem. Eius nomen non exprimo, scio enim malle eum in pace viuere, nec morderi ab indoctis, quàm ab ingenij perspicacitate collaudari. Ergo pro illâ sit iste primus author. Sit secundus Caramuel. Fortè alij accedent; & quæ probabilis est ab intrinseco, ab extrinseco erit etiam aliquando probabilis. Fortè etiamnum est probabilis ab extrinseco benigna opinio; est enim noua, & solùm à nobis tractata; habet pro se duos authores, & contra se nullum: & quia hoc verum, cur non erit probabilis?

Hæc omnia disputando dicta sint: (nam etiamnum proderit hoc lapide frangere dentes inuidiæ.) Tu, amice lector, ne festines, sta seueriori sententiæ, quousque pro benigniore quatuor vel sex authores habeas.

Voila quelle estoit cette opinion en 1652. mais comme ces Theologiens sont les maistres de leurs probabilitez, deux ans apres Caramoul a reconnu que c'estoit se mocquer du precepte de l'Eglise, que de l'expliquer de la sorte, quoy qu'il soustienne que ces consequences sont fort bien tirées de l'opinion de ceux, qui enseignent qu'on satisfait au precepte d'ouyr la Messe, lors qu'on en entend deux moitiez tout à la fois.

3. CONSEQUENCE, *qu'il n'approuue pas, mais qu'il assure estre bien tirée de la mesme opinion.*

Que 24. Moines, qui diroient tout ensemble chacun vne leçon, & vn respons de matine, satisferoient tous à l'obligation qui regarde les leçons & les respons.

P. 225. Non est animus approbare aut improbare istam sententiam (de audiente simul duas medietates Missæ.) Sed notare quæ debeat consequenter admittere meus Diana, si Dialecticam amat.

Rationis puritas nos deduceret ad officium diuinum; nam iuxta mores & rubricas Monasticas, in officio solemni habemus 12. lectiones, & totidem responsoria, quæ non recitat communitas, sed audit tantùm. Ergo si sint 24. Religiosi in choro, & singuli dicant simul lectionem & responsorium, satisfacient præcepto legendi 12. lectiones, & totidem responsoria.

4. CONSEQUENCE. *Que lors que deux personnes disent ensemble leur breuiaire, ils peuuent prononcer chacun son verset en mesme temps, sans se mettre en peine de l'attention; parce qu'elle n'est pas necessaire.*

Quando duo legunt simul, non erit opus vt alter alterum expectet; sed poterit alter incipere versum sequentem antequam alter præcedentem absoluat: quoniam potest simul se & socium audire; nec est cur ad attentionem & auscultationem recurras; quia attentionem internam non esse necessariam putamus.

5. CONSEQUENCE. *Qu'il suffit de dire vne fois tout ce qui se repete en ces diuerses parties de l'Office, comme le Pater, Deus in adiutorium. Cette opinion luy paroist probable*

In Officio diuino nonnulla pluries repetuntur: anne hæc toties deberent repeti? Respondi olim in commentario in regulam S. Benedicti, esse probabile singulas horas, singulis respondere præceptis: esse certum, vnico actu hominem posse diuersis præceptis satisfacere; adeoque si semel in vnâ horâ dicatur Pater, Aue, &c. quæ in horis diuersis repetuntur, non debere in aliis recitari.

6 CONSEQUENCE. *Qu'on satisfait à l'obligation, qu'on auroit de dire le Rosaire, en disant vn seul Pater, & vn seul Aue.*

Si cui Rosarium legere præciperetur, hoc est quindecies Pater, & centies quinquagies Aue diceret, quia singula Pater, & singula Aue diuersis præcepti partibus correspondent; & si possumus stando Dianæ resolutioni, eodem simul tempore diuersis præcepti partibus satisfacere; anne hæc omnia Diana admittet? Non puto. Quid ergo? Vel hæc omnia debebit transglutire, vel à principali opinione discedere?

XXI.

Doute impie fondé sur la Probabilité, qui va à prouuer qu'on se peut sauuer dans toutes les sectes d'heretiques, proposé par CARAMOVEL, *sous le nom d'vn Luthérien, sans qu'il y apporte aucune réponse.*

Pag. 472.

Quia Basanomenus Lutheranorum filius est in Lutheranâ vrbe natus, inter Lutheranos nutritus, Magistros habuit & Prædicantes Lutheranos, sic vbi primum P. Valerianum magnum Capucinorum decus, & alios audiuit inculcantes, vel esse redeundum ad Romanam Ecclesiam, vel recedendum à Christo; feruidè insurrexit, & dixit: Christianismus probabilissima Religio est, & sub ipso dantur sectæ antiquiores, iuniores, seueriores, benigniores, vniuersaliores, minùs vniuersales (& præcipuè Romana, Lutherana, Caluiniana) QVÆ SVNT VERE PROBABILES: ergo mihi Lutherano non est necessariò redeundum ad Romanam Ecclesiam, aut secedendum à Christo; nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana est Christiana, & probabilis, & multò Romanâ benignior. Vim rationis jam penetras; jam vides quò respiciat Hæreticus. Tenet primò esse probabile quòd Deus mentiri nequeat; secundò esse probabile, quod reuelarit sacram paginam, & si velit, vt sic loquar, dictauerit; tertiò esse probabile, quòd eandem Romanâ

Ecclesia

Ecclesia benè exponat; & tamen addit, ijs non obstantibus harum Antitheses esse probabiles. Resolutionem hanc sic ille confirmat & dilucidat. [Doctrina Aristotelis, inquit, prout hodie traditur in Academiis Italicis, Hispanicis, Gallicis, probabilissima est; nec contra hanc ipsam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas; nam isti & similes errores sunt expuncti, nec jam traduntur à Christianis Philosophis. Hæc ipsa doctrina & schola Aristotelis in tres sectas diuiditur, Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem; omnes probabiles, omnes celebres, omnes plausibiles. Dicant Dominicani [nostra schola Aristotelica est, & antiquior Nominali & Scotisticâ: ergo redeundum ad ipsam, vel secedendum est ab Aristotele.] Quid inde? nam à Franciscanis ridebuntur, qui æquo jure reponent. [Vel admittendam esse Scoti scholam, vel relinquendum Peripatum] tunc enim argumentatio vrgeret, cùm vel vna sub Christo Religio, vel vna sub Aristotele schola demonstrationes produceret: nam si vna secta demonstraretur esse vera, reliquæ demonstrarentur esse falsæ; & in nostro casu, ait Basanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranam, Caluinianam) ESSE CHRISTIANAS ET PROBABILES IVDICO, & omnes has scholas (Thomisticam, Scotisticam, & Nominalem) esse Aristotelicas & probabiles censeo; & hanc ob rem ratiocinio illo disiunctiuo, Vel redeundum est ad Romanam Ecclesiam, vel secedendum est à Christo, conuinci aut vrgeri non possum. Nec antiquitatem ipse, & Concilia Generalia morabitur; hæc enim, vt ait, probabilia argumenta & non euidentia ministrant; quoniam schola Aristotelis, Christi religione multò antiquior; & Academiæ Peripateticæ multò numerosiores magistros habent, quàm Generalia Concilia; & si licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere, cur non licebit Basanomeno, esse & cautiori? cur non dicere Romanam quidem Ecclesiam esse probabilissimam, adeòque in foro interno esse securissimam; & tamen hoc ipso nonobstante, Lutheranam quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atque æquè Christianam & securam, imò securiorem omninò, quoniam minùs probabilis sententia si benignior, etiam securior est? Cur non licebit addere, se esse in quietâ conscientiâ apud Lutherum, adeòque nec teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec à Christi Religione secedere?

Sic discurrit etiamnum Basanomenus: & deberet à te, Lector erudite, compesci. P. Valerianum Magnum audiuit, & alios audire desiderat.

Il faut remarquer qu'à la teste de ce doute, & de plusieurs autres de mesme nature, il met ces paroles qui font voir son intention, pag. 446

Ad solamen illorum qui in Germaniâ habitant, & multos viros aliàs probos infectos dolent Hæresi, aliquas periodos scribo, & veriùs ex selectissimis Autoribus exscribo.

EXTRAIT

DE QVELQVES PROPOSITIONS d'vn nouuel Auteur Iesuite nommé MASCARENHAS, imprimé chez Cramoisy en cette année 1656. & qui ne se vend que depuis le mois d'Octobre.

Ce liure est dedié à la Vierge, & l'Auteur declare qu'il y enseigne ce qu'il a appris d'elle comme de sa maistresse, & que c'est elle aussi qui luy a inspiré de le composer. On pourra iuger par quelques-vnes de ces decisions, si c'est vn ouurage digne de ces inspirations pretenduës, & de la pureté de celle à qui il est addressé.

I.

Que tout ce que l'Eglise souffre estre enseigné & publié par les Casuistes, doit estre censé permis; & que par consequent on satisfait au precepte d'entendre la Messe, lors qu'on en entend deux moitiez de deux diuers Prestres, soit en diuers temps, soit en mesme temps.

MASCARENHAS *Tract.* 5. *n.* 491.

DIcendum absolutè est Missam de præcepto non esse necessariò audiendam ab vno eodemque sacerdote, sed posse audiri ab vno v. g. vsque ad consecrationem, & ab alio a consecratione vsque ad finem......licet transuerso ordine priùs audiat ab vno sacerdote partem Missæ posteriorem, & posteà ab alio partem priorem.

Et ratio est, quia qui ita facit verè audit integ am Missam (quamuis non vnam, sed partes duarum) quod tantùm præcipitur. Et confirmatur, quia cùm Ecclesia sciat suas leges ita à grauibus Doctoribus explicari, hoc ipso quòd eorum explicationes permittit publicè imprimi & doceri, censetur suum præceptum secundum eas moderari.

Sed ratione huius doctrinæ quæres vtrum satisfaciat præcepto, & non peccet mortaliter ille, qui simul & in eodem tempore audit duas partes Missæ a duobus sacerdotibus, quorum vnus Missam incipit, dum alius medium absoluit; hoc est, audiendo simul & in eodem tempore à primo sacerdote principium Missæ vsque ad consecrationem, & à secundo à consecratione vsque ad finem Missæ? Multi & graues Doctores asserunt sic facientem peccare mortaliter, & non satisfacere præcepto audiendi Missam. Nihilominus tamen contraria opinio docens talem non peccare, & satisfacere præcepto, est probabilis. Et ratio est, quia ad hoc vt vna opinio sit probabilis, debet fundari in autoritate, seu in ratione: sed hæc opinio non solùm fundatur in autoritate, sed etiam in ratione: ergo est probabilis. Quòd fundetur in autoritate, patet; quia illam docet P. *Hurtadus* disp. 6. *Bonacina* punct. 11. n. 13. *Molfesius* in Sum. tom. 1. tract. 3. c. 17 n. 36. fine. *P. Azor* part. 1. l. 7. c. 3 q. 3. *Diana* part. 1. tr. 17. resol. 18. & part. 5. tr. 14. n. 52. & alij. Quòd autem fundetur in ratione, etiam probatur; quia vt ait *P. Azor* citatus, quod attinet ad attentionem, potest quis ad vtrumque animum intendere, & Ecclesia, cujus est præceptum audiendi Missam, non præcipit vt Missa audiatur ab vno sacerdote, sed simpliciter præcipit Missam audire, & duæ medietates Missæ constituunt vnam Missam; & licet Missa debeat audiri secundum suum ordinem, tamen hoc non est de necessitate præcepti, vt dictum est supra n. 492.

Probatur 2. illâ ratione adductâ supra n. 491. quia Ecclesia scit hoc ita à multis doctoribus explicari: ergo eo ipso quòd tales explicationes permittit publicè imprimi, & doceri, censetur suum præceptum secundum eas moderari. Et quamuis P. Ægidius q. 83 ar. 6. dub. 4. n. 288. asserat hanc rationem in hoc casu non militare, sicut militat in casu supra n. 1 assignato; quia vt ille asserit, non eodem modo loquuntur doctores de vno casu, ac de alio: ta-

men postquam scripsit P. Ægidius, scripsere doctores supra citati, qui eodem modo loquuntur de vno casu, ac de alio: ergo, &c.

II.

Qu'vn Laïque, ou vn Prestre, estant tombé dans quelque sorte d'impureté que ce soit, mesme contre la nature, peut sans le moindre peché veniel, & mesme loüablement, communier le jour mesme aprés s'en estre confessé. Que s'il y a eü autrefois des loix de l'Eglise contraires à cela, elles sont abrogées par la coustume contraire de toute la terre. Que le Confesseur ne doit point conseiller à son penitent de s'abstenir de la communion le jour mesme qu'il est tombé dans ces crimes. Et que le vœu que quelqu'vn en feroit, seroit nul.

MASCARENHAS *Tr. 4 de sacros. Euch. Sacram Disp* 5. c. 7. p 239.

284. Qui habuit pollutionem mortaliter peccaminosam quocumque modo habitam, præmissâ confessione potest sine peccato eodem die communicare.

Dico 3. qui habuit voluntariam, & mortaliter peccaminosam pollutionem siue cum complice, siue sine illo, si habeat debitum illius dolorem, præmissâ confessione poterit in eâdem die communicare, quin in hoc peccet mortaliter, nec etiam venialiter. Ita *Syluester* verbo Eucharistia 3. §. 10. n. 12. *Nauarrus* retractans se in vltimâ edit. in manuali c. 21. n. 51. *P. Ægidius* q. 80. ar 7. *P. Hurtadus* disp. 9. diff. 13. *P. Azor* 1. part. l. 10. c 3. ad finem. *P. Suarez* disp. 68. Sect 3. §. Ex hac enim *P Laymanus* tr 4. c. 6. n. 15. *P. Henriquez* l. 8. c. 51. n. 1. *P. Fagundez* l. 3. c. 6. n 8. Et cum multis *Ioannes Sancius* disp. 23. n. 30. Et ratio est, quia nullus adest textus qui prohibeat communicare seu celebrare hominem verè contritum, & ritè per Confessionem sacramentalem confessum, quamuis in eodem die grauissimum peccatum mortale commisisset: ergo si potest in eodem die in quo incidit in peccatum homicidij & hæresis (quæ sunt peccata grauiora) communicare, vt omnes concedunt, siue peccato; poterit etiam in die habitæ pollutionis voluntariæ, quæ est peccatum minùs graue, etiam sine vllo peccato communicare, dummodò sit ritè confessus: & confirmatur ex Concilio Tridentino; ait enim sess. 13. c. 7. illum sanctè & dignè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, dignè accedet se per confessionem probando: ergo asserere, deleto jam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ; quia si suscipiat peccatum, veniale sit commissurus, videtur manifestè aduersari Concilio, cùm sequatur eum non accedere tunc sanctè & dignè, cùm actionem exerceat in mente Authorum contrariæ sententiæ intrinsecè malam, & culpabilem saltem venialiter.

Et quamuis *P. Vasquez* q 8. c. 7. credat antiquitus fuisse aliquam legem vel vniuersalem vel prouincialem, seu consuetudinem, quâ per aliquas saltem horas post pollutionem prohibebatur communio, vt videntur ostendere loca superiùs dicta §. *Nec facit*; hoc tamen hodie communi & vniuersali totius orbis consuetudine est abrogatum, & de facto hodie nulla datur prohibitio positiua; quia de eâ non constat; neque naturalis, quia ex nullo capite ostendi potest.

285. Tota hîc dubitatio est, vtrum debeat Confessarius consulere his sic voluntariè & mortaliter pollutis, vt illo die à communione se abstineant, non ex præcepto, quod, vt supra dictum est, nullum datur; sed ex consilio, propter reuerentiam debitam tanto sacramento? Ordinariè respondent Authores affirmatiuè. Nihilominus tamen mihi magis placet opinio *Ioannis Sancij* in suis select. disp. 23. n. 30. asserentis hoc non esse consulendum; imò potiùs consulendum quòd communicent, dummodò sint per confessionem ritè dispositi; ne sub velamine reuerentiæ erga hoc sacramentum, illud defraudent excellentiori reuerentiâ, quæ ex tali sumptione illi accrescet, & cùm ob realem sumptionem institutum fuerit à Christo, & sic suscipientes fini institutionis conformentur Deinde hoc etiam consulendum, ne pœnitentes defraudentur gratiâ hujus sacramenti, & aliis plurimis effectibus: ideò reus erit qui dignum pœnitentem communione defraudat; & iste talis est dignus, quia licet eadem die pollutus fuerit voluntariè, à tali pollutione per confessionem sacramentalem liberatur, quæ ad hunc finem fuit instituta.

287. Et hinc infero, non esse validum votum factum non suscipiendi Eucharistiam die habitæ copulæ fornicariæ, etiam præmissâ confessione cum vero dolore: nam tale votum est impeditiuum maioris boni, & ideò non potest habere rationem voti, nec vim obligandi, vt docet *Ioan. Sancius* in selectis disp. 23. n. 40. in fine, & patet ex his quæ dicta sunt supra n. 281.

Le P. Bauny Theol. Mor. Tr. 10. p. 457. traitant la mesme question sur le suiet d'vn Prestre qui auroit la hardiesse de vouloir dire la Messe le iour mesme qu'il seroit tombé en des crimes infames, suit le mesme sentiment de Sancius aprouué par Mascarenhas ; & declare nettement que c'est ce qu'on doit suiure dans la pratique : Opinio Sancii & tuta & SEQVENDA VIDETVR IN PRAXI.

III.

Que les communions sacrileges produisent la grace aussi-tost qu'on est reuenu en bon estat, & qu'ainsi celuy qui en auroit fait vne infinité, ou qui auroit dit la Messe dix fois chaque iour contre le precepte de l'Eglise, & en mauuais estat, deuiendroit tres-Saint en vn moment, aussi-tost qu'il auroit fait vn acte de contrition, ou d'attrition auec la confession.

MASCARENHAS *Tract. 1. de Sacram. in genere. Disp. 4. c. 5. p. 47.*

105. Sacramenta accepta cum defectu accidentali (hoc est sine debitâ dispositione) posteà sublato obice suum producunt effectum.

Dico 2. qui accipit sacramentum cum defectu accidentali, siue culpabiliter, accipiendo illud voluntariè, v. g. à Ministro hæretico ; siue inculpabiliter, accipiendo illud v. g. inaduertenter, seu ignoranter, sine attritione seu dolore requisito ad fructum sacramenti, sublatâ fictione seu obice consequitur effectum sacramenti. Ita *Bonacina* disp. 1. q. 6. punct. 3. n. 3. vbi plures allegat. *Caietanus* tom. 1. opusc. tract. 5. q. 5. de Confessione infirmi. *Cabrera* de sacramentis qu. 69 art. 10. disp. 4. n. 9. *Diana* 3. part. tr. 4. resol. 15. & part. 5. tr. 13. resol. 30. qui absolutè de omnibus loquuntur. Et idem tenet *Petrus Sotus* in Inst. Sacerd. lect. 5. de baptismo. *Villalobos* in Sum tom. 1. tr. 5. diff. 21. n. 2. vt probabilius docet. Et ratio est, quia hæc sententia conformior videtur infinitæ bonitati Dei, qui sacramenta instituit ad subleuandam hominum necessitatem. Descendamus modò ad probandum hoc de singulis sacramentis in particulari.

111. De sacramento Eucharistiæ, de quo datur major dubitatio, probatur eodem modo ac de aliis sacramentis : nam quemadmodum homo qui ad hoc sacramentum accedit sine obice, & cum debitâ dispositione, habet ius ad gratiam huius sacramenti ; ita ille qui cum obice accedit, habet jus ad gratiam sublato obice : ergo ablato obice hoc sacramentum suum producit effectum. Ita *Caietanus* tom. 5. opusc. tr. 5. q. 5. de Confessione infirmi. *Cabrera* de Sacram. q. 69. art. 10 disp. 4. n. 9. *Diana* 3. part. tr. 4. resol. 15 qui absolutè de omnibus, etiam de Eucharistiâ loquuntur. Nec obstat quòd si aliquis, qui multoties cum peccato communicaret, posteà conuertatur, acquirat subitò totam illam gratiam debitam tali sacramento toties sumpto, si benè & licitè communicaret : nam in hoc ipso magis apparet misericordia & clementia Christi Domini, & virtus & efficacia tanti sacramenti, quod maximè per hoc extollitur & amplificatur, quamuis contrarium dicat *Villalobos* in Sum. tom. 1. tr. 7. diff. 23. *P. Suarez* in 3. part. tom. 3 disp. 63. sect. 8. *Canus, Siluester, Paludanus*, & alij quos allegat *Diana* citatus.

Dices cum *Patre Lugo* disp. 9. sect. 6. n. 108. in fine, ex hac doctrinâ sequeretur quòd homo fieret repentè sanctissimus propter plura sacrilegia commissa, & eò sanctior quò plura fuissent sacrilegia ; & multò sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesiæ decies vel centies celebrasset, quod ex se incredibile apparet. Respondeo, in tali casu non fieri hominem repentè sanctissimum propter plura sacrilegia commissa, sed propter plures communiones, & si fit eò sanctior, quò plura fuissent sacrilegia, hoc non sequi per se, sed per accidens : per se enim tale augmentum gratiæ & sanctitatis prouenit ex plurimis sumptionibus Eucharistiæ, & per accidens est quòd tales sumptiones fuerint sacrilegæ.

IV.

Qu'vn Prestre qui sans aucune necessité mais par pure malice, dit la Messe en estat de peché mortel, sans se confesser auparauant, n'est point obligé de satisfaire à ce que le Concile de Trente ordonne de se confesser au plutost ; parceque le Concile ne parle que de ceux qui ont omis la confession par necessité, & non pas de ceux qui l'ont omise par malice.

MASCARENHAS *Tr. de Sacros. Euchar. Sacram. Disp. 5. c. 6. p. 236.*

272. Qui ex malitiâ celebrauit non præmissâ confessione mortalium, non tenetur ad hoc præceptum, scilicet quamprimùm confiteri.

Quæres 3. vtrum qui ex solâ malitiâ celebrauit non præmissâ cofessione mortalium, teneatur

tur posteà quamprimùm confiteri ? Respondeo negatiuè. Ita P. *Suarez* Disp. 66. Sect. 7 P. *Filiucius* citatus n. 123. P. *Ægidius*, & P. *Hurtadus* locis citatis. Ita etiam P *Granado* 3. part. controu. 6. tr. 10. Disp. 7. n. 15. & cum multis *Diana* part. 9. tr. 3. resol. 26. Et ratio est, quia hoc præceptum Concilij Tridentini non obligat, nisi eos qui ex necessitate celebrant; & in nostro casu Sacerdos non celebrat ex necessitate, sed ex malitiâ : ergo præceptum Concilij non extenditur ad istum sacerdotem.

V.

Qu'absolument parlant, ce n'est pas seulement vn peché veniel d'omettre le sacrement de Confirmation : ce qui a esté condamné par les Euesques de France, & par la Sorbonne dans la Censure des liures des Iesuites d'Angleterre.

MASCARENHAS *Tract. 3. de Sacram. Confirmationis Disp. 4. c. 3. p. 152.*

72. Omittere sacramentum Confirmationis absolutè loquendo, nec est peccatum veniale.

Dico 2. omittere hoc sacramentum absolutè loquendo, nec etiam peccatum veniale est. Ita *Nauarrus* c. 22. n. 9 & alij. Et ratio est, quia nullum de hoc datur præceptum de iure communi, & nullum datur peccatum, nec veniale, nisi sit contra aliquod præceptum. Et confirmatur, quia cùm hæc res in se sit grauis, si de illâ aliquod daretur præceptum, obligaret sub mortali; sed non obligat, ita vt dictum est supra : ergo signum est nullum de hoc dari præceptum : & licet aliqui doceant, omissionem huius sacramenti esse peccatum veniale, quia existimant continere in se quamdam prodigalitatem, ex eo quod per ipsam omissionem priuetur magnis donis spiritualibus : tamen ego contrarium existimo absolutè loquendo; nam etiam illi qui intra annum post impletionem præcepti non confitentur, nec communicant, absolutè loquendo nec venialiter peccant, ex eo quod nullum de hoc detur præceptum; & tamen priuantur magnis donis spiritualibus : ergo similiter.

VI.

Que lors que l'on a diuerses opinions probables si l'on a peché, ou si l'on n'a point peché, on n'est pas obligé de se confesser de ce peché douteux, encore mesme qu'on panche plus vers l'opinion qui fait croire qu'on a peché.

MASCARENHAS *Tr. 4. de Sacramento Eucharistiæ Disp. 5. c. 4. p. 217.*

141. Vtrum teneatur quis confiteri illud peccatum, de quo pro vtrâque parte habet opiniones probabiles, vtrum illud commiserit, vel non.

Quæres 3. vtrum ille qui habet opiniones probabiles pro vtrâque parte, an scilicet commiserit, vel non commiserit aliquod peccatum mortale, teneatur illud confiteri ante communionem, vel non ? Respondeo etiam latè de hoc dicendum infra tract. 6. de Pœnitentiâ : sed modò hîc obiter negatiuè respondeo : & hoc licet magis propendeat in aliam partem, quæ existimat peccasse : & ratio est, quia homo potest se conformare cum opinione probabili, licet minùs tutâ & minùs probabili : ergo poterit se conformare cum opinione existimante non peccasse, dummodò probabilis sit, licet contraria sit probabilior : nam homo non tenetur ad operandum prudentissimè; sed sufficit quòd operetur prudenter, & qui cum opinione probabili operatur, prudenter operatur.

On iugera aisément iusqu'où cela se peut estendre par l'estendüe des Probabilitez.

VII.

Que celuy qui va à la Messe pour voir impudiquement vne femme, & qui sans cela n'iroit pas, satisfait au precepte d'entendre la Messe, encore mesme qu'il eust intention expresse de n'y point satisfaire.

MASCARENHAS *Tract. 5. n. 518.*

Sed quæres, vtrum satisfaciat præcepto audiendi Missam ille qui venit ad Ecclesiam intentione libidinosâ, & sic videndi aliquam fœminam, & sic Missam attentione requisitâ audit ALITER NON AVDITVRVS. Respondeo affirmatiuè. Ita Pater *Suarez*, *Nauarrus*, & alij quos citat & sequitur P. *Fagundez*. Et ratio est, quia quamuis tunc peccet contra sextum præceptum, tamen illa intentio libidinosa non destruit intentionem virtualem implendi præceptum audiendi Missam.

Ib. n. 516. Satisfacit etiam præcepto audiendi Missam ille, qui illam audit animo expresso non satisfaciendi præcepto auditione illius Missæ.

LA CENSVRE DES LIVRES DE CARAMOVEL PAR FEV Mr. L'ARCHEVESQVE DE MALINES: Dans laquelle la licence des nouuelles opinions probables est particulierement condamnée.

IACOBVS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPVS MECHLINIENSIS,
OMNIBVS HAS VISVRIS SALVTEM IN DOMINO.

CVM ad aures nostras pervenisset, libros quosdam Theologicos Authore Ioanne Caramuele Lobkovvits S.T.D. in lucem editos, à Bibliopolis nostræ Diœceseos passim divendi, & tamen in iis multa reperiri dogmata, quæ Viros pios & doctos non parum offendunt: curavimus præfatos libros per plures Theologos diligentiùs examinari, ac traditam in iis doctrinam maturiùs expendi, vt si quid saluti animarum, quas pascendas suscepimus, noxium atque venenatum continerent, ad illarum interitum avertendum, opportuna adhiberemus remedia. Cùm itaque per dictos Theologos compertum, nobisque fideliter relatum fuerit, supra nominatum Authorem plurimas asserere & sustinere sententias impias, & enormes, & ad sempiternum præcipitium valdè latum pontem sternentes: item circa certissima Theologiæ principia quasi disputativè multa imprudenter scribere, leviusculas adversus illa rationes absque solutionibus obiiciendo; & per hoc doctrinis omni rationali menti horrendis & execrandis mirum in modum favere, ac si primùm ipsa fundamenta concutere vellet, ut totum deinde sanæ doctrinæ ædificium funditus disiiceret: denique variis in locis apertè profiteri, sese ad hoc studiosè laborare, ut multarum sententiarum probabilitates introducendo, plurima faciat hominibus licita, quæ hactenùs æstimantur esse peccata, & sic viam cæli in dies latiorem & faciliorem reddat; quasi verò possit adinventionibus suis mendacem facere Sermonem Evangelicum Domini nostri IESV CHRISTI, ubi ait: *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Hinc nobis, volentibus oves custodiæ nostræ commissas à lata porta & spatiosa via perditionis, pro debito pastoralis officij salubriter abducere, visum fuit prorsus necessarium, omnes libros compositos à præfato Authore, & imposterum componendos (nisi per nos aut Deputatos nostros approbentur) seriò inhibere: sicut etiam per præsentes illos inhibemus; universis & singulis Diœcesanis nostris strictissimè vetantes, ne ullos ex dictis libris imprimere, vendere, emere, legere aut retinere præsumant; sed quicumque eos habent, intra spatium quindecim dierum ab harum notitia, ad nos remittant, ut de iis disponamus prout expedire videbitur. Datû Bruxellæ 18. Februarij 1655.

Locus † sigilli *Iacobus Archiepiscopus Mechliniensis.*

Bruxellis, Typis MARTINI DE BOSSVYT, dictæ Vrbis Typographi, viâ lapideâ, ad Intersigne Sancti Petri, M DC, LV.

Cette Censure auroit deu estre mise à la fin de l'Extrait de Caramouel, Mais on ne l'auoit pas encore recouurée.



